Digitized by Google

BIBL. NAZ.
VITT. EMANUELE III
162
A
13
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

SYNODUS
ANCONITANA

Ab Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo Dño


D. JOANNE BAPTISTA

Tit. S. Mariæ in Aracœli S. R. E. Presbytero

CARDINALI BUSSIO

EPISCOPO ANCONITANO, ET HUMANÆ
COMITE

In Eccleſia Cathedrali celebrata diebus 15. 16. 17. & 18.
Septembris Anno Domini M. D. CC. XXVI.



ROMÆ, MDCCXXVII. Ex Typographia Antonii de Rubeis.
SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

BEATISSIMO PATRI

BENEDICTO XIII.

PONT. MAX.

BENEDICTUS BUSSIUS

PERENNEM FELICITATEM.

CUM *inter eximias nominis tui laudes*, BEATISSIME PATER, *illa potiſſimùm emineat, quod ha-*

Digitized by Google

bendarum Synodorum inſtitutum, miro Eccleſiaſticæ antiquitatis cultu celebratum, perque Sacros identidem Canones, tanquam pręcipuum retinendę, & amplificandæ diſciplinæ præſidium, commendatum, atque præſcriptum, vigilantiæ tuæ exemplo reſtituere, ac propagare ſtudueris; nihil ſollicitudini tuę gratius eſſe debet, quàm ut Eccleſiis Chriſti conſtare operę tuę fructum intelligas, & proſpero ſucceſſu certantibus ad imitationem Epiſcopis, redundare curas tuas ad profectum canonicæ inſtitutionis intelligas. Paſtoralibus autem ſtudiis iſtis,

ſiquis

ſiquis alius, impigrè ſollicitèque obſecutus Joannes Baptiſta Cardinalis Buſſius, *Synodales Conſtitutiones pro ſua Anconitana Eccleſia condidit & promulgavit, zelum, ac providentiam* SANCTITATIS TUÆ *ita referentes, ut ſapientiſſima quæque decreta, quæ unâ & quadraginta Diœceſanis Synodis pro tua Beneventana Metropoli, ac duabus Provincialibus pro ampliſſima illa Provincia, quæque nuper in Romano Lateranenſi Concilio ſanxeras, ad Eccleſiæ ſibi creditæ utilitatem pro rerum locorumque conditione opportunè deri-*

va-

varet. Has verò paſtoralis miniſterii partes cum expleviſſet, perque ſalutares regulas à tuis Conſtitutionibus plurimùm expreſſas, ſatis conſultum gregi ſuo reputaret, laboribus vitáque functus, quod unum votis ſuis reliquum erat, ut nimirum decretis Tibi nuncupandis Apoſtolici præſidii opem conciliaret, mibi reſervatum eſſe voluit; ut quem conſiliorum participem, rerumque geſtarum teſtem ad Eccleſiaſticam ſervitutem erudire, & informare nitebatur, ſuę erga Te obſervantiæ fiduciæque interpretem haberet. Quâ igitur benevolentiâ viventem digna-

gna-

Digitized by Google

gnabaris , *excipe* BEATISSIME PATER , *humanis quidem rebus exemptum*, *adhuc tamen ad gregis ſui cuſtodiam in hiſce Conſtitutionibus veluti ſuperſtitem*, & *excubantem; ut illum ſupremo Apoſtolicæ benignitatis teſtimonio proſequaris*, *cui contigit*, *ſui erga Te obſequii argumentis definiri*, & *conſignari diuturni miniſterii curſum*, & *metam*. *Non injucunda profectò* SANCTITATI TUÆ *eſse poteſt ſtudioſiſſimi Cardinalis recordatio*, *nec ingratas*, *quas ſuſcèpi*, *amantiſſimi Patrui votis obſecutus*, *officii vices*. *Cum enim* Cardinalis Buſſi *Tibi ſubierit*,

bierit,

Digitized by Google

bierit, in earum rerum memoriam incurres, in quibus ipſe quidem per omnem Apoſtolicæ procurationis ætatem, animi tui delicias collocaſti; ille verò ſedulò curaverat, ut ad virtutum tuarum normam, vitæ ſuæ rationes exigeret, atque in tuenda Apoſtolicæ Sedis auctoritate, in propagando rerum Divinarum cultu, in vindicandis canonicis inſtitutis, in benignitate erga pauperes, & ægrotos, in Sacris Ritibus obſervandis, in decore Domus DEI *diligendo, fortitudinis, alacritatis, & vigilantiæ tuæ lineamenta pro viribus adumbraret. Talem Ro-*

ma

Digitized by Google

ma vidit inter ipſa Sacrorum Officiorum primordia graviſſimis muneribus proludentem. Talem ſenſerunt Catholicæ Religionis diſciplinæque neceſſitates, Belgicam primùm provinciam Apoſtolico Miniſterio, tum Tractus Rheni Colonienſem Legationem intrepidè ſapienterque obeuntem. Talem excepit Anconitana Eccleſia, quæ Te Beneventanam Provinciam aſſiduis viſitationibus luſtrantem, nulliſque parcentem laboribus, in Epiſcopo ſuo ſibi perſpicere videbatur. Ad has profectò ſedulæ imitationis laudes luculentum acceſſit SANCTITATIS TUÆ *judi-*

Digitized by Google

cium, cum accurandas Sacræ Domus Lauretanæ rationes, ad quas, inito ſtatim Pontificatu, animum intenderas, Cardinali Buſſio *ampliſſimâ cum poteſtate demandaſti. Templi verò ſarta tecta, ſacra ſupellex, Sanctuarii nitor, tum præſertim Noſocomii commoda, & conſtituta valetudinis diſciplinæque præſidia ſatis declarant, quam alacri animo quantaque cum ſolertia piis* Sanctitatis Tuæ *ſtudiis reſpondére contenderet. Huic autem operi intentus, dum* Beatitudinis Tuæ *mandata faceret, in Religionis & obedientiæ officiis, augendo Divinæ*

Do-

Domus, Beatæque Virginis cultu, vivendi finem nactus eſt. *Mihi vero,* BEATISSIME PATER, *ingens fuerit operæ pretium, ſi in aſſidua ſtudioſiſſimi Patrui diſciplina educatus, gratum memoremque animum* SANCTITATI TUÆ *probaſſe videar, quod ejus voluntati morem gerere nihil cunctatus, Anconitanæ Synodo typis editæ, cui vindicem cuſtodemque vigilantiſſimum in Succeſſore meritiſſimo delegiſti, Apoſtolicum patrocinium, quod ſibi ille de tua incredibili humanitate pollicebatur, præſcripto* TUÆ BEATITUDINIS *nomine quæſiverim.*

INDICTIO SYNODI.

JOANNES BAPTISTA

Tituli S. Mariæ in Aracœli S. R. E. Presbyter
CARD. BUSSIUS Epiſcopus
Anconitanus, & Comes Humanæ.

INter præcipuas Paſtoralis noſtræ ſollicitudinis curas, ea ſemper in animo fuit, quæ Apoſtolicis probata inſtitutis, & Sacroſanđi Tridentini Concilii ſanđionibus toties inculcata, perſpicuoque, nuper, SS. D. N. feliciter Regnantis exemplo præcepta, omnium utiliſſima ad populorum regimen jure meritò cenſeri debet, convocatio, ſcilicet, Diœceſanæ Synodi, in qua loquentibus ad invicem Animarum Paſtoribus, faciliùs Verbum Domini videtur, ad hoc ut rectè ab ipſis formetur Chriſtus in Grege, & ipſi viciſſim perfectè fiant forma Gregis ex animo; Verum ut ſuprema eorum, in quorum ſollicitudinis partem, licet immeritò, vocati ſumus, juſſa, qua par eſt, reverentia faceremus, ad aliena non ſemel pro Dei gloria diſtracti, ab incępto toties opere manum retrahere coacti ſumus. Optatiſſimum nunc tandem adfuit tempus, in quo cum dies Pentecoſtes compleantur erimus & nos pariter in eodem loco, expectantes indui virtute ex alto, ut nonniſi Spiritu Sancto repleti loqui incipiamus, quę

Pa-

Paraclitus idem Spiritus dabit eloqui nobis. Noſtram igitur Diœceſanam Synodum ſub Deiparæ ſemper Virginis Mariæ, S. Cyriaci, & aliorum Protectorum auſpiciis, in proximis Penteċoſtes ſolemniis, die nona ſcilicet Junii currentis anni, celebrandam indicimus, ad eamque omnes & ſingulos, qui de jure vel conſuetudine intereſſe debent, in virtute S. Obedientiæ, & ſub pœnis à Sacris Canonibus, aliiſque arbitrio noſtro infligendis accedere, diſtrictè præcipimus, & mandamus; neque per Nuncios, seù Procuratores ſupplere præſumant, niſi de legitimo, eoque graviſſimo impedimento conſtare faciant. Si quid interim corrigendum, aut decernendum in Domino putaverint, ſcripto ſaltem ad nos deferre, opportuno tempore non omittant. Super omnia autem Diœceſis univerſæ petitiones, & obſecrationes innoteſcant apud Deum, ut ſuper nos mittere dignetur Spiritum Sanctum ſuum de Cælis, Spiritum Scientiæ, & Pietatis, Spiritum Conſilii, & Fortitudinis, quo tantum Opus dignè aggredi, & utiliter perficere valeamus; quapropter per quindecim continuos dies indictam Synodum præcedentes addatur in Miſſis Collecta de Spiritu Sancto, in omnibus inſuper tam Civitatis, quam Diœceſis Paræciis poſt Parochialem Miſſam Sanctorum Lytaniæ quotidiè recitentur, nec non qualibet Feria quinta intrà eoſdem dies occurrente, Miſſa ſolemnis Votiva de Spiritu Sancto

ce-

celebretur; In Cathedrali verò præter hæc omnia per tres dies à nobis deſignandos publicæ Fidelium adorationi Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſolemniter, de more exponetur, ut in conſpectu Divinæ Majeſtatis Suæ ubi communis omnium cauſa tractari debet, communis etiam effundatur Oratio. Volumus autem ut hæc Synodi Indictio valvis Eccleſiæ noſtræ Cathedralis, aliiſque locis ſolitis affixa, omnes & ſingulos quorum intereſt afficiat, ac ſi foret ipſorum cuilibet perſonaliter denunciata. Datum ex Palatio noſtro Epiſcopali die 7. Maji 1726. Pontificatus vero SS. in Chriſto Patris, ac Domini noſtri, D. BENEDICTI Papæ XIII. Anno ſecundo.

J. B. Card. Buſſius Epiſc.

Camillus Gilius Canc. Epiſc.

PRO-

Digitized by Google

PROROGATIO CELEBRATIONIS
SYNODI
AD DOMINICAM XIV. POST PENTECOSTEN
Die 15. Septembris 1726.

JOANNES BAPTISTA

Tituli S. Mariæ in Aracæli S. R. E. Presbyter
CARD. BUSSIUS *Epiſcopus Anconitanus, & Comes Humanæ.*

DIœceſanam noſtram Synodum, quam votis omnibus quantocyus celebrare geſtiebamus, datis nuper literis ſub die 7. elapſi menſis, in proximis Pentecoſtes ſolemniis habendam indiximus. Verum cum non pauci illorum etiam, quibus de more neceſſitates Populi, & Eccleſiarum ad nos opportunè interim deferre juſſimus, temporis brevitatem culpantes, injuncto muneri plenè adhuc non ſatisfecerint, longiuſque tempus communiter ab omnibus deſideretur ad perfectam operis executionem. Nos idcircò quò maturiùs in tanti momenti negotio procedamus, uberioremque, in Domino, fructum exindè referre poſſimus, habito etiam reſpectu ad ſacras, ſolemnes Parœciarum functiones, quæ in dictis Pentecoſtes diebus, ob Miniſtrorum inopiam alicubi vacarent,

Digitized by Google

rent, petitam dilationem, libenti animo indulgentes, ſacram Synodum ad Dominicam xiv. poſt Pentecoſten, diem ſcilicet 15. proximi Septembris, Sanctiſſimo Deiparæ Virginis Nomini ſacram, differimus ac prorogamus; monendo iterum omnes qui de jure, vel conſuetudine intereſſe debent, quatenus die prædicta, ad Synodum in Cathedrali noſtra celebrandam convenire, ac perſonaliter, eidem, ſacriſque omnibus functionibus, ad Synodi uſque concluſionem, intereſse, omnino non omittant. Præter publicas, interim, jam indictas ſupplicationes, quas differri etiam permittimus ad diem 31. proximi Auguſti, hortamur omnes ut aſſiduis, ferventiſſimis precibus Patrem luminum deprecentur, qui illuminare dignetur Vultum ſuum ſuper nos, ut cognoſcamus vias ſuas, iterque tutum prębeamus iis, quos ducimus, auferentes offendicula de via Populi ſui. Datum Anconæ ex Palatio noſtro Epiſcopali die prima Junii 1726.

J. B. Card. Buſſius Epiſc.

Camillus Gilius Canc. Epiſc.

IM-

Digitized by Google

IMPRIMATUR,
Si videbitur Reverendiſs. P. Mag. Sac. Pal. Apoſt.
N. Baccarius Ep. Bojan. Viceſg.

UT Reverendiſſimo Patri Fr. Gregorio Selleri Sac. Palatii Apoſt. Magiſtro morem geram, Synodum Anconitanam à cl. me. Card. Buſſio Epiſcopo celebratam, diligenter pro mea tenuitate perlegi; in eâque nil, quod Religionis Catholicæ dogmata, aut morum regulas aliquo modo offendat, reperi. Imò Decreta omnia, ad Sacrorum Canonum, præcipuè Sac. Concilii Tridentini præſcriptum diſpoſita, Sacrarumque Congregationum Decretis, ac celeberrimis Synodis Diœceſanis innixa conſpiciuntur; Nec aliter emanare poterant ex Zelo, Pietate, Doctrinâ, ac Paſtorali ſollicitudine dicti Eminentiſſimi Præſulis: de quibus teſtari poſſum, eo quia de tuenda Eccleſiaſtica Diſciplina, quę, ut verbis Cypriani utar, *retinaculum eſt Fidei*, non ſemel familiare colloquium, dum illum inviſerem, pro ſua, quâ pollebat, benignitate, mecum habere dignatus eſt. Quapropter Synodum hanc ad ſartamtectam Eccleſiaſticam Diſciplinam in Anconitana Diœceſi faciliùs conſervandam, ut præ omnium manibus haberi poſſit, Typis mandari cenſeo. Datum Romæ hac die 13. Septembris 1727.

Nicolaus Antonius Cuggiò Canonicus S. Mariæ Tranſtyberim, Sac. Congreg. Indicis Conſultor.

IMPRIMATUR.
Fr. Gregorius Selleri Ord. Pręd. Sac. Pal. Ap. Mag.

c IN-

Digitized by Google

INDEX
CAPITUM.

SErmo habitus ab Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo Epiſcopo ipſo initio primæ Seſſionis. pag. 1.

PARS PRIMA.

Cap. I. *De fide, & fidei Profeſſione.* 7

Cap. II. *De Doctrina Chriſtiana.* 9.

Cap. III. *De Verbi Dei Prædicatione.* 17.

Cap. IV. *De Græcis, & eorum Ritibus.* 20.

Cap. V. *De Feſtorum dierum obſervatione.* 22.

Cap. VI. *De Sacroſanctis Eccleſiis, & Proceſſionibus.* 31

PARS SECUNDA.

Cap. I. *De Sacramentis in genere.* 37.

Cap. II. *De Sacramento Baptiſmi.* 40.

Cap. III. *De Sacramento Confirmationis.* 46.

Cap. IV. *De SS. Eucbariſtiæ Sacramento.* 48.

Cap. V. *De Sacroſancto Miſſæ Sacrificio.* 57.

Cap. VI. *De Sacramento Pœnitentiæ.* 64.

Cap. VII. *De Sacramento Extremæ Unctionis.* 74.

Cap. VIII. *De Sacramento Ordinis.* 77.

Cap. IX. *De Sacramento Matrimonii.* 86.

PARS TERTIA.

Cap. I. *De Vita, & honeſtate Clericorum.* 93.

Cap. II. *De Parochis.* 103.

Cap. III. *De Seminario Clericorum.* 115.

Cap. IV. *De Monialibus.* 122.

Cap. V.

Digitized by Google

Cap. V. *De Conſervatorio Sancti Laurentii, & Tertiariis.* 134.
Cap. VI. *De Eremitis.* 138.
Cap. VII. *De Confraternitatibus Laicorum.* 139.
Cap. VIII. *De Monte Pietatis.* 142.

PARS QUARTA.

Cap. I. *De Medicis.* 149.
Cap. II. *De Cæmentariis.* 152.
Cap. III. *De Hebræis, & Infidelibus, eorumque conſortio vitando.* 154.
Cap. IV. & ultimum. *De Conſtitutionibus Synodalibus.* 159.
Officiales Synodi. 164.

INDEX APPENDICIS

AD PART. I.

Formula Profeſſionis Fidei. 177.
Formula juramenti præſtandi. 181.
Iſtruzione per li figliuoli, e figliuole, che debbono ammetterſi per la prima volta alla Sagramentale Confeſſione. 182.
Iſtruzione per li Predicatori. 200.
Formula peculiaris Profeſſionis Fidei pro Grecis. 204.
Lettera della Sagra Congregazione del S. Offizio diretta al Veſcovo di Ancona, ſopra il non ammetter Greci all'eſercizio degl'Ordini, quando venghino da luoghi ſoſpetti. 210.
Lettera della Sagra Congregazione del S. Offizio diretta al Veſcovo di Ancona circa l'Ordinazio-
ne

ne de' Greci, che riſiedono in Ancona. 211.
Feſta in Civitate, & Diœceſi ex præcepto ſervanda. 213.
Feſta Mobilia. 215.
Feſta ex Devotione ſervari ſolita. 215.

AD PART. II.

Iſtruzione per la Creſima. 217.
Iſtruzione ſopra il culto, e venerazione con cui deveſi portare il Santiſſimo Viatico agl' Infermi. 221.
Formola di citazione per quelli, che non ſi ſarannno comunicati la Paſqua. 228.
Formola di ſcomunica contro quelli, che precedenti le monizioni ordinate nel Sinodo, e la citazione ad valvas non ſi ſaranno comunicati la Paſqua. 229.
Editto dell' Eminentiſſimo d' Aſte per la veſte talare nella celebrazione della S. Meſſa. 230.
Avviſi per gl' Ordinandi. 233.

AD PART. III.

Declaratio Sac. Congregationis Regularium ſuper ſtatu Mulierum Tertii Ordinis in privatis domibus degentium, illarumque ad habitum admiſſione. 237.
Regole da oſſervarſi per gli Romiti, deſtinati da' Veſcovi alla cuſtodia, e ſervigio de' Romitorj, e Chieſe campeſtri. 241.
Editto contro gl' Ebrei, ed altri che per loro impegnano nel Sacro Monte di Pietà. 251.

AD PART. IV.

Ordini, ed Avvertimenti intorno alla obbligazione de' Medici nella cura ſpirituale degl' Infermi. 254.

SER-



SERMO

Habitus ab Eminentiſs. & Reverendiſs.

EPISCOPO

Ipſo initio primæ Seſſionis.

A Prima die, qua ingreſſi fuimus dilectam Anconitanam Eccleſiam, nil altiùs animo noſtro insèdit, quàm ut annunciaremus omne conſilium Dei Vobis, & univerſo Gregi, quem Spiritus Sanctus Fidei, & Charitati noſtræ demandavit. Neque enim niſi à Deo vocati, in hunc Montem aſcendimus, ut populum Dei ſanctificaremus; eique judicia Domini, non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis impreſ-

Act. 2,18.
Ibidem 27.
Ibidem 28.
Exodi 19. 14.
2. Cor. 3. 3.

ſa commendare ſtuderemus. Perluſtratâ itaquè,non ſemel, in Sacra Viſitatione,universà
Lucæ 2. 8. hac Diçcèſi, & diuturnis ſuper Gregem no-
Jo. 10. 14. ſtrum exactis vigiliis, ut noſtras oves noſceremus, & viciſſim ab iis noſceremur, ſupereſt nunc Paſtorali muneri, earumdem ſecuritati, atque Incolumitati proſpicere. Et quamvis Ampliſſimorum Patrum Prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis, ac legibus inhę-
Ad Ephes. 4. 7. rentes uſque modò, juxta menſuram Gra-
Act. 20. 20. tię, quę data eſt nobis, nihil ſubtraxerimus utilium credito nobis Gregi; attamen, quia collabente tempore, mores etiam, atque leges collàbi videntur; ad ea idcircò reparanda manum admovère operæ prætium duximus; ſeriùs tamen fortaſsè, quàm in votis fuerit ad id devenimus, ut maturiùs in tanti ponderis negotio ageremus.

Porrò quia experientiâ compertum eſt ab ipſis Chriſtianæ Religionis primordiis, quàm utilia forent ad Eccleſiaſticæ Diſciplinæ incrementum, ad Cleri, atque populi reformationem, ad eludendas Dæmonum artes, ad evellenda demùm ea omnia, quæ per abuſum invecta fuerant, totiès à Sanctis Patribus, Sacroſanctis Conciliis, Summiſque Pontificibus imperata Synodalia Comi-

tia,

tia; idcircò Vos omnes Venerabiles Fratres, dilecti Filii, ad Sanctam hanc noſtram Diœceſanam Synodum convenire decrevimus, ut Dei Sapientia, quæ ibi adeſſe non renuit, ubi plures fuerint congregati in nomine ſuo, illuceſcat in cordibus noſtris, & conſilia noſtra ſint Juſtificationes ſuæ.

Math. 18. 20.
2. Cor. 4. 6.
Pſalm. 118. 24.

Favet votis noſtris optatus Dies, quo Alma Sapientiæ Mater, per quam legum conditores juſta decernunt; patefacit huic noſtræ Civitati anniverſaria feſtivitate *Imaginem*, & divitias bonitatis ſuæ, & *Nomine ſuo*, tanquam lucis radio univerſum Orbem illuminat.

Incidit Feſtum SS. Nom. Mariæ, & celebris ejuſd. Imaginis in Cathedr. venerat.
Prov. 8. 15.
S. Bern. hom. 2. ſuper Miſſus eſt.

Erigit quoque Nos in ſpem uberrimi fructus Pietas populi, & probata Sacerdotum noſtrorum ſollicitudo in alendis, atque ſervandis Chriſti ovibus.

Vobis igitur congregatis in unum proponimus Sacras Leges, Canonicaſque, & Apoſtolicas Sanctiones, quas diù mente revolvimus, non præceptorum multitudine graves, ſed Divina Charitate refertas, ut communi Studio, quæ fuerint Dominico huic Gregi ſalubria, provideantur, veſtroque adhibito conſilio, quod bonum fuerit ſecundùm conſuetudinem antiquorum Pa-

Alex. III. ad Epiſcopos per Tuſciã.

trum, ſtatuatur, & firmetur à nobis.

Cæterùm quia quod ſuaviter inſtituimus, fortiter, & efficaciter volumus; Veſtrum erit Sacerdotes Domini, & animarum
2.Cor.6.4. Chriſti Paſtores, ut exhibeatis voſmetipſos, ſicut Dei Miniſtros in Charitate non ficta, &
Ad Tit.1.9. in verbo Veritatis, ut potentes ſitis exhortari in Doctrina Sana, & eos, qui contradicunt, arguere; A vobis enim diſtrictam exigemus rationem, ſi ager Dominicus, in quo nunc ſerimus fructiferum germen, fru-
Math.13.9. ctum trigeſimum, ſexageſimum, & cente-
Math.13.25. ſimum non afferat, aut ſi vobis ſomno deditis veniat Inimicus homo, & ſuperſeminet Zizania.

2.Cor.9.10. Adminiſtravit nuper ſemen ſeminanti Supremus omnium Paſtor Sanctiſſimus Dominus Noſter (quem Deus nobis diù ſervet
Pſal.32.6. Incolumem) providis, & verè Spiritu Oris Domini refertis legibus,in Romana Synodo, ad totius Chriſtianæ Reipublicæ bonum, ad ovium ſuarum (inter quas ſpeciali titulo nos eſſe gloriamur) incolumitatem, ad noſtram, cæterorumque Paſtorum Doctrinam Sancìtis. Eas idcircò, quas ſicuti legum noſtrarum Exemplar venerati ſumus, vobis nunc, & Univerſo Gregi, ceù primam, tutiſſi-

mam-

mamque Chriſtianæ Diſciplinæ Regulam præ cunctis, quæ hìc ſtatuere placet, omninò ſervandas proponimus.

Animadvertite in iis indeficientem Supremi omnium Paſtoris Charitatem ergà oves ſuas; nec vos Paſtores vigilare pigeat, *Ambr. in cap. 1. Lucæ.* quos Summus, atque optimus Paſtor informat.

Cavète ne ſitis Canes muti non valentes *Iſaiæ 56. 10* latrare, & nè in die Domini vobiſcum conquæratur Judex Animarum veſtrarum, eo quod non aſcenderitis ex adverſo, nec op- *Ezech. 13. 5.* poſueritis murum pro Domo Iſrael.

Charitatem denique veſtram rogamus, atque obteſtamur, in orationibus veſtris me- *1. ad Theſſal. 3. 6.* moriam noſtri ſemper habere, ut reporte- *1. Petr. 1, 9.* mus finem laborum noſtrorum, Salutem Animarum, adjuvante gratià, & benignitate Salvatoris Noſtri Jeſu Chriſti, cum quo Patri ſimul, ac Sancto Spiritui Gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

PARS

Digitized by Google

Digitized by Google

PARS PRIMA.

CAPUT PRIMUM.

De fide, & fidei Profeſſione.

1 PASTORALIS Officii noſtri partes præcipuas expleturi, Sacras, ſcilicèt, condendo leges, quibus, ſaluberrimis veluti paſcuis ovium noſtrarum incolumitati, ſtabiliter proſpiciatur; illud in primis curandum nobis, juxtà monitum Apoſtoli, operæ prætium ducimus, ut omnes ſint ſani (a) in fide; non enim fruſtrà timeri poſſunt jam infirmi, qui vel ignorantiæ tenebris ſuffulti, mentis (b) oculos ad æternæ veritatis lumen nunquam aperiunt; vel, cum ſint Magiſtri in populo, doctas (c) fabulas ſecuti, notam facere negligunt, Domini noſtri Jeſu Chriſti, virtutem.

(a) *Ad Tit. 1. 13. & 2. 2.*

(b) *S. Greg.*

(c) *2. Petr. 1. 16.*

2 Nec adeò de nobiliſſimo, quo noſtra Ancon præfulget, Civitatis Fidei cognomento, blandìri poſſumus; ut non timeamus ſemper mala ab iis, (d) qui foris ſunt, quibuſque liber ad noſtrum Portum patet acceſſus; vel ab illorum perfidia, qui in media hac urbe, tanto cum diſcrimine, tolerantur.

(d) *1. ad Tim. 3. 7.*

3 Ca-

Digitized by Google

3 Caveant igitur in primis, omnes, & præcipuè Rudes, ac literarum ignari, (e) cum Hæreticis, aliiſque Infidelibus, de Fide, publicè, aut ſecretò diſputationem habere, ex quo undequaque ſcandalum ſæpè ſæpiùs oriri compertum eſt; ſed potiùs morum honeſtate, Chriſtianæque converſationis exemplo ità eos, qui (f) ex adverſo ſunt, ædificare ſatagant, ut vereantur nihil habentes malum dicere de nobis.

4 Beneficiati (g) omnes, antequam Beneficiorum poſſeſſionem acquirant, Fidei profeſſionem, ad formam Conſt. Pii IV. in Calce Synodi appoſitam, coram Nobis, vel Vicario Generali emittant; ad quam ſciant (h) ſe teneri etiam Prædicatores verbi Dei, cæterique Sacerdotes ad audiendas Confeſſiones in noſtrâ Diœceſi primo approbati, etiamſi Regulares ſint; nec eiſdem Regularibus liceat, vel in Eccleſiis (i) ſui Ordinis ſermocinari, vel Cathedras aſcendere ad lectiones habendas de Theologia, Philoſophia, aut aliis liberalibus artibus, niſi prius fidei Profeſſionem hujuſmodi coram Nobis, vel Vicario Generali, emiſerint; dummodò aliàs in noſtra Diœceſi huic debito non ſatisfecerint.

5 Ludi Magiſtri, (k) Medici, Chirurgi, Impreſſores, Bibliopòlæ, aliique, quos fuſius in Synodo cl. me. Prædeceſſoris noſtri Cardinalis de Comitibus expreſſos reperire eſt, ad eamdem fidei Profeſſionem emittendam teneantur;

Pa-

(e) *Synod. Card. de Comit. tit. 1. c. 1. & tit. 14 c. 3.*

(f) *Ad Tit. 2. 8.*

(g) *Concil. Trid. ſeſſ. 24. c. 12. Pius IV. Conſt. 89. in Append. pag. Synod. Card. de Comit. hoc tit. c. 2.*

(h) *Ex Decr. S. Cong. Concilii. Ex actis Ecc. Mediol. S. Caroli part. 4. Inſtr. Præd. Synod. Card. de Comitibus tit. 1. c. 1. 2. 3. Syn. Arimin. an. 1696. Synod. Oſtien. Card. Cybo an. 1698. Synod. Farfen. Cardin. Barberini anno 1685. Concilium Prov. Firman. ſub Giannettino Arch. an. 1591. hoc tit. Syn. Aſcul. ſub Gambi an. 1618.*

(i) *Synod. Card. de Comit. ibid. cap. 3. Synod. Aſculana ſub Gambi anno 1718. Synod. Oſtien. Card. Cybo an. 1698.*

(k) *S. Cong. Conc. in Terracinam 29. Aug. 1582. Syn. Emi de Comitibus locis cit. & c. 4.*

Digitized by Google

Parochiſque incumbat forenſes, & advenas de hujuſmodi obligatione monère, antequàm ſimiles artes exercère incipiant, & inobedientes nobis, vel Vicario noſtro denunciare.

CAPUT SECUNDUM.

De Doctrina Chriſtiana.

1 FIDEM ſincerè profiteri parùm prodeſſet (l) fidelibus illis, & prudentibus Servis, quos conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, Clericis, ſcilicet, & Sacerdotibus, maximè curam animarum habentibus, quibus ideò (m) incerta, & occulta Sapientiæ ſuæ ſummus Paterfamilias manifeſtavit, (n) dando eorum labiis ſcientiam cuſtodire, (o) ut ex ipſorum ore legem populi requirerent; Ii etenim (p) ſicut Stellæ in perpetuas ęternitates non fulgebunt, niſi multos erudiant, nec ullum in Vinea Domini, quam excolunt, fructum percipient, niſi aſſiduâ (q) Sermonum illorum declaratione, qui illuminant, & intellectum dant parvulis, quos in (r) Chriſto genuerunt Infantes, Chriſtianæ Doctrinæ lacte de die (s) in diem enutrire non deſinant.

2 Singulis (t) itaque Dominicis, aliiſque feſtivis diebus à prandio in unaquaque Parochia poſt ſolitum Campanæ ſignum, duo ſaltem modeſtiores Pueri, quorum unus Crucem de-

(l) *Math.* 24. 45.

(m) *Pſal.* 50. 8.

(n) *Malach.* 2. 7.

(o) *Ibid.*

(p) *Dan* 12. 3.

(q) *Pſ.* 118. 130.

(r) 1. *Cor.* 4. 15.

(s) 1 *Petri* 2. 2.

(t) *Trid. ſeſſ* 5. *c.* 2. *&* *ſeſſ.* 24. *c.* 4. *de ref. S. Pius V. Conſt.* 137. *Ex decreto. Syn. Card e Comit. tit.* 11. *c.* 2. *Cōc Rom ſub D N Bened.* XIII *tit.* 1. *c.* 4.

votè deferat, alter tintinnabulum, totam circumeant Paræciam, convocando ad Eccleſiam populum, & Patresfamilias, de gravi, quâ deſuper obſtringuntur, obligatione, elatâ voce monentes, his verbis: *Padri, e Madri mandate i voſtri Figlioli alla Dottrina Chriſtiana; ſe non li mandarete, ne haverete à render conto à Dio:* Dum interim Populus congregatur, ne vanis oblocutionibus debita Eccleſiæ reverentia violetur; quinimmo, ut magis animi ad (u) ſuſcipiendum inſitum verbum diſponantur, partìm pii alicujus libri lectione, partìm ſacrarum cantionum concentû, quæ pro Feſtorum varietate diſtributæ, cum notis etiam, pro faciliori cantû, nuper hìc fuerunt impreſſæ, (x) in hymnis, & canticis ſpiritualibus cantetur Domino, Puerique ſic ſenſim ſine ſenſu dediſcant prophana canere, & cum Angelis, ut D. ait Chriſoſtomus (y) choreas ducere incipiant, & quaſi cum eis de Dei laudibus, & amore contendere.

(u) *Jacobi 1. 21.*

(x) *ad Eph. 5. 19*

(y) *S. Jo. Chriſoſt. in explic. Pſ. 137.*

3 Sedeant fœminæ ſeorſim à maribus, qui in diverſas claſſes diſtributi pro diverſa eorumdem capacitate, inſtrui debent à Clericis, in hujuſmodi Miniſterio Parochorum (z) adiutoribus, ut cautum eſt in præcedentibus Synodis, quarum decretis obſequentes Clerici omnes (exceptis iis, quos aliò ad hoc munus explendum deputavimus) ad Campanæ ſignum in Parochiali Eccleſia conveniant. Quod ſi plu-

(z) *C. Ut quiſq; de vit. & honeſt. Cler. Syn. Card. de Comit. tit. 11. c. 4. Syn. Car. de Aſte Decr. 9. de Doct. Chriſt. Ex 4. Conc. Mediol. ſub S. Carolo p. 2. de Sacr. Ord.*

plures fuerint, quàm res exigat, ad nutum Parochi, alii inſtruant, alii audiant, ut periciores deinde & ipſi, opportuno tempore inſtruere poſſint.

4 Antequam inſtructio incipiat, genuflexi omnes ad Altare Sanctiſſimi Sacramenti canant elatâ voce, præeunte Parocho, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, & Symbolum Apoſtolicum vulgari idiomate, proùt in aureo cl. mem. Cardinalis Bellarmini libello, juſſu Clementis VIII. conſcripto, cui in omnibus ſe conformare debent Parochi, ſi utiliter tantum munus explere cupiunt. Eodemque modo in fine Catechèſis, pro gratiarum actione canantur actus theologalium Virtutum, quò faciliùs percipiantur, & illorum exercitio Pueri aſſueſcant.

5 Sublimia, quę tractari debent, Fidei myſteria clarè pro viribus explicent, aptis quandoque ſimilitudinibus, & exemplis utentes, ut faciliùs, quæ audiunt, rudes intelligant, nec pſittacorum more verba fideliter referant, ſenſum verò, ut contingere ſolet, penitùs ignorent.

6 Myſteriis Fidei moralia ſemper inſerant Chriſtianæ Diſciplinæ principia, queis tenera puerorum corda mirum in modum ad pietatem formari haud dubium eſt; vivis exprimant coloribus peccati deformitatem; diſtrictam eis repetant Supremi Judicis ultionem, cæteraque

noviſſima, quibus ab (a) infantia timère Deum edocti, mandata ejus inviolabiliter cuſtodiant, & in æternum non peccent.

(a) *Tob.1. 10. Pſ.118. 60. Eccli. 7.40.*

7 Inter fideles (b) Myſteriorum Dei Diſpenſatores nec à Deo, nec à Nobis unquàm invenientur Parochi illi, qui in Sacramentorum adminiſtratione licet prompti, negligunt tamen populos inſtruere, ſicut oportet, de iis, quæ ad dignam tantorum munerum ſuſceptionem indiſpenſabiliter requiruntur; quo fit, ut ſaluberrimi gratiarum fontes ſæpè ſæpiùs ſine fructu, & non raró ad animarum potius perniciem ab iis ipſis aperiantur, immo veriùs exſiccentur, quorum fidei commiſſi ſunt; aſſiduis proinde monitis (c) Sacramentorum neceſſitatem inculcent, ſublimitatem extollant, interioreſque animi motus, quibus ad percipiendum eorum fructus, diſponimur, claré, & ad vulgi captum docère nunquam omittant. In eo maximè incumbentes ut ad Pœnitentiæ Sacramentum, ſecundam videlicet poſt naufragium tabulam, intimo cordis dolore, ſinceroque emendationis propoſito accedant, quod nonnunquam culpabili Parochorum incuriâ ignorantes, populi negligunt, & in ipſo ſalutis portu miſerè pereunt.

(b) *1.Cor.4.1.2.*

(c) *Dec.S.Cong. Conc. juſſu Innoc.* XI.*12.Feb.1679. Can.licet 8. qu.1. Trid.ſeſſ. 24. de Reform. c.7.*

8 In his omnibus exponendis regulam ſequantur traditam nuper à Sanctiſſimo Domino noſtro (d) ad calcem Romani Conc. in inſtructione (e), quam idcircò huic Synodo adne-

(d) *Cõc.Rom.ſub Bened.* XIII. *in append. ad t.8.1. c 4.*
(e) *in append.*

Digitized by Google

nectimus, ut per eam Parochi omnes, infantium linguas faciant eſſe diſertas.

9 Nec ad pueros tantùm ſit Sermo eorum, pro quibus Ludimagiſtri etiam advigilare debent ſuper hoc in Scholis ex Decr. (f) Lat. Conc. ſub Leone X., & Synodalibus hic per Prædeceſſores noſtros jam ſancitis legibus, quas innovamus, ſed miſeros illos pari Zelo reſpiciant Adultos utriuſque ſexus, qui pueris ignorantiores, abſque ſpe luminis, (g) in tenebris ambulare geſtiunt, quia, quod ignorant, addiſcere pertinaciter detrectant, immo etiam verecundantur: hos (h) arguant, increpent, obſecrent in omni patientia, & doctrina. Feſtis, proinde, diebus in Miſſis Parochialibus, ad quas, præſertim Ruſticos, convenire neceſſe eſt, ſemper Catechiſmus habeatur ad populum, immo ad præſcriptum Romani ultimi Conc. idem ſervetur (i) in ſecunda Cappellani Miſſa, ubi habetur, & in Oratoriis, aliiſque ruralibus Eccleſiis, in quibus feſtivo die ad populi commodum celebrari ſolet; ſub pœnis arbitrio noſtro, etiam ſuſpenſionis à Divinis.

(f) *Leo X. in Conc. Later. ſeſſ. 9. Can. 7. & in Bullar. Conſt. 7. Superna. Syn. Car. de Aſte Decr. de Doctrin. Chriſt.*

(g) *Joan. 12. 35.*

(h) *2. ad Tim. 4. 2.*

(i) *Conc. Roman. cit. tit. 1. c. 5.*

10 Quod ut optatum, ſecuriùs, ſortiatur effectum, abſtineant omnes in Diœceſi degentes (l) Presbyteri, dictis diebus, à celebrando in qualibet Eccleſia, ac Oratoriis Confratrum ante Miſſam Parochialem, quod ſervari etiam volumus dum Concio habetur, aut ad eam ſignum datur.

(l) *Sac. Cong. Ep. 14. Maii 1585.*

11 Ut

11 Ut autem etiam ad Catechéſim conveniant, quæ à prandio, ut dictum eſt, fieri debet, promiſſis alliciantur, minis terreantur. Nunquam Parochi, ſupplices, qui ad Nos deferuntur, libellos neceſſariâ roborent ſubſcriptione, niſi Oratores, cujuſcumque ſint ætatis (dummodo de eorum ignorantiâ dubitari poſſit) Catechiſmum frequentent; nunquam eos ad communes eleemoſynarum diſtributiones advocent, nec ullo, omninò, favore proſequantur. Contumaces verò, & monitis ejuſmodi parère detrectantes, ad Sacram, etiam in Paſchate, Synaxim non admittant; quinimmò eorum, in re tanti momenti, ſocordiam ad Nos deferant, ut juſtà, quam merentur, caſtigatione coerceantur.

12 Quò verò eorumdem pudori ſimul, ac egeſtati conſultum ſit, caveant Parochi, adultos publicè in Eccleſia interrogare, ſed, quod audiant ſolummodò, contenti ſint; nec inter pueros ſedère eos jubeant, immo potiùs honoratiorem quemcumque eligendi locum, liberum ipſis relinquant: quod quidèm quàm proficuum, & ad populi frequentiam confovendam perutile, ſatis perſpicimus ex eo, quod in Civitate ad præſens contingit, in Eccleſiis Sanctæ Anaſtaſiæ, & Sancti Blaſii, adultorum Catechiſmo nuper à Nobis aſſignatis, ad quas frequens, in dies, populus, non tàm ſpe munerum, & eleemoſynarum, quæ inibi diſtribuuntur, quàm ſimi-

Digitized by Google

ſimilis à puerorum cœtu ſegregationis decòre allectus, concurrit.

13 Optimum quoque eſſet, & ad rudium inſtructionem blandè accommodatum, ſingulis menſibus, in locis illis, in quibus duo ſaltem Sacerdotes, vel docti Clerici reperiuntur, exercitium peragere, quod Apoſtolicum appellant; in eo enim, miro audientium profectu, duo, quos diximus, Sacerdotes in eminenti Eccleſiæ loco ſedentes, familiare inter ſe colloquium habent ſuper aliquod Romani Catechiſmi præcipuum caput, explente altero partes ignorantis diſcipuli, qui ruſticâ ſimplicitate, dubia deſuper occurrentia, interrogando, promoveat: altero Magiſtri, qui doctè non minùs, quàm planè familiariter, & dilucidè reſpondens, rem totam abſolvat; praxis adeò ſub oculis quoque noſtris probata, ut ad eam à finitimis, etiam alienis oppidis, ruſticorum turmæ alacri, avidoque animo, non ſemel concurrere viſæ ſint.

14 Hæc & his plura, quæ ingenioſa cuique ſuggeret Charitas, à Paſtoribus adhibenda ſunt media, ut ad vitam unâ cum grege eis credito, perveniant æternam; Vita (m) enim æterna, ait Chriſtus Dominus, hæc eſt, ut ſolum verum Deum agnoſcant, & quem miſit ipſe, Jeſum Chriſtum. Longâ certè Apoſtolatus noſtri experientiâ comperimus, neglectos homines, præſertim ruſticos, quorum plurimi (n) ſortiti ſunt Animam bonam, Deum non

(m) *Joan.* 17. 3.

(n) *Sap.* 8. 19. 2. *ad Theſſ.* 1. 8.

non diligere, quia Deum non novèrunt; quod ſi culpâ eorum accideret, quibus graviſſimum incumbit onus (o) manifeſtandi nomen Dei hominibus, quos dedit eis ſupremus omnium amantiſſimus Pater, quomodò poterunt ii (p) ſubſiſtere ante faciem Domini loquentis in Zelo ſuo cum impleverit indignationem ſuam in eis? Nec tanto oneri ſe ſatisfacturos credant coram Deo, & coram Nobis, monendo tantùm, & vocando, (q) derelinquentes poſt hęc contumaces in manu conſilii ſui, & ad (r) excuſandam excuſationem in tanto ſcelere, dicentes, (quod ſæpè intimo cordis noſtri dolore audivimus) vocati ſunt, & noluerunt venire, dereliquimus illos; miſeri, ſi cum eis taliter egiſſet, & adhuc ageret miſericors (s) Paſtorum Princeps, Chriſtus Dominus, qui (t) propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de Cœlis, non expectans ad ſe nos vocatos accedere, ſed (u) exultans ut Gigas ad currendam viam, ut aufugientem (x) ingratum hominem apprehenderet, hùc, illùcque, per vicos & plateas diſcurrens, (y) fatigatus ab itinere, ut (z) quæreret, & ſalvum faceret, quod perierat.

15 Ad tantæ igitur Charitatis exemplum (a) expandant & ipſi manus ſuas, opera, ſcilicet, paſtoralis ſollicitudinis, ad populum non credentem, & contradicentem; (b) inveniantur à non quærentibus, & palàm (c) appareant iis, qui

(o) *Jo.17.16.*
(p) *Ezech.5.13.*
(q) *Eccli.15.14*
(r) *Pſ.140.40.*
(s) *1.Petri 5.4.*
(t) *Symb.Nicæn.*
(u) *Pſ.18.6.*
(x) *Ad Hæbr. 2.16. S.Jo.Criſ. hom.5.in eandem epiſt.*
(y) *Joan.4.6.*
(z) *Lucæ 19.10.*
(a) *Iſaiæ 65.2. ad Rom.10.21.*
(b) *Iſaiæ 65.1.*
(c) *ad Rom.10.20.*

qui non interrogant: circumeant Paræcias, de Deo loquantur in agris, & Apoſtolorum morem ſectantes, non in Templo, tantùm, ſed (d) circà domos doceant, & omni die evangelizzent Chriſtum Jeſum; ſi ſecùs egerint præter eam, quam Deo reddituri ſunt, ſtrictiſſimam rationem, ſciant, à Nobis graviſſimis mulctandos pœnis, pro modo culpæ, in quo inexorabiles omninò erimus, punientes in Parochis ignorantiam ſubditorum.

(d) *Actor. 5. 42.*

CAPUT TERTIUM.

De Verbi Dei Prædicatione.

1 Fides, quę ex (e) auditu ortum habet, ad interitum penè traducitur per infideles Miniſtros illos, qui Concionatorum nomen uſurpant, & (f) Verbum Dei adulterantes, aut jocis, quaſi hiſtriones, aut converſi ad fabulas, uti poetę, auditores ſibi prurientes auribus coacervant, & inanis facundiæ lenocinio Sacram Divini Verbi prædicationem fœdè corrumpunt. Utinam aliquandò intelligerent, quod per Jeremiam Deus illis indixit, Propheta (g), qui habet Sermonem meum, loquatur Sermonem meum verè: quid paleis ad triticum? numquid non verba mea ſunt quaſi ignis? (dicit Dominus) & quaſi malleus conterens petram? non hujuſmodi ſint in noſtra Diœcèſi

(e) *Ad Rom. 10. 17.*

(f) *2. Cor. 2. 17. & 4. 2. 2. ad Timot. 4. 3. 4. Ex Act. Eccleſ. Mediol. p. 4. in inſtruct. Præd. de Mat. Conc.*

(g) *Jer. 23. 29.*

C Con-

Concionatores; quinimò ſint providi (h) cooperatores Ordinis noſtri, potentes (i) exhortari in Doctrina ſana, prædicantes (l) Chriſtum, & hunc crucifixum, non in (m) perſuaſibilibus, ſcilicet, humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione Spiritûs, & Virtutis. Abſtineant omninò à facetiis, & ridiculis narrationibus, quæ (n) ad rem tanti momenti non pertinent, ſed in (o) Doctrina, in integritate, in gravitate verbum ſanum irreprehenſibile ſemper proferant, ſcientes pro (p) Chriſto legatione fungi, Deo per ipſos exhortante.

2 Et quia nunquam ritè (ſic Deo jubente) prædicabunt (q), niſi mittantur, præter ea, quæ à Sacroſancto (r) Conc. Trid., nec non à fæl. rec. Clemente Papa X., & Synodalibus Prædeceſſorum noſtrorum legibus deſuper ſancita ſunt, volumus quod ante ſolemniorem Quadrageſimalis curſus Prædicationem, ſtatutà die conveniant omnes in noſtro Epiſcopio, ut inſimul benedictionem Domini per Nos recipiant, audiantque de ore noſtro neceſſitates populi, ad quem mittuntur, & quid imperet (s) Dominus ad eum loqui.

3 In Diœcèſi, ubi major timèri poteſt in Chriſtianæ Fidei rudimentis inſcitia, ſecundam (t) Concionis partem fructuoſiùs quotidie insùmant in iis familiariter explicandis, vel quę ad Symbolum, vel quæ ad Sacramentorum perceptionem, vel quæ ad aliud Catechiſmi caput

(h) *Pontifical. Rom. de Ordin. Presbyt.*
(i) *Ad Tit. 1. 9.*
(l) *1. Cor. 1. 23.*
(m) *1. Cor. 2. 4.*
(n) *ad Ephef. 5. 4*
(o) *ad Tit. 2. 7. 8.*
(p) *2. Cor. 5. 20.*
(q) *ad Rom. 10. 15.*
(r) *Leo X. in Cōc. Later ſeſſ. 11. & in Bullar. Conſtit. 21. Trid. ſeſſ. 5. de Ref. cap. 2. & ſeſſ. 24 c. 4. Greg XV. Conſt. 8 Inſcrutabili. Clem X. Conſtit. 7. Superna. Syn. Card. de Comit. tit. 12. c. 3. Syn. Oſtien. Card. Cybo an. 1698. hoc tit. Syn. Arimin. Card. Curſii ann. 1696. hoc titul. 1. Syn. Cardin. de Acquav. an. 1607 Syn. Card. Carac. Neap. ann. 1672. hoc tit. n. 2.*
(s) *Num 23. 3.*
(t) *Synod. Card. de Aſte decr. 10. hs. tit.*

caput

put pertinent ; uberiorem certè fructum ex hoc relaturi, quàm ex perpolita in reliquis elocutione, non [u] turpis lucri, nec inanis gloriæ cupidos ſe oſtendant, ſtudeantque in primis non periodos, ſed [x] mores componere ; nullam [y] enim (ait D. Greg.) auctoritatem habet ſermo, qui non juvatur exemplo. Quocirca dignè Evangelio [z] Chriſti converſantes, ſæcularium domos non frequentent, vana cum ipſis colloquia non habeant, non commeſſationes, non ſæcularia, etiam ſub ſpecie honeſti, negotia, ſed in religioſa Parochi domo (juxtà monitum Apoſtoli, ſibi [a] attendant, & Doctrinæ ; hoc enim facientes & ſeipſos ſalvos facient, & eos, qui audiunt.

(u) *ad Tit* 1.7.

(x) *Cap. inter de off. Jud. Ord.*

(y) *S. Greg. lib. 4. Moral. c. 11. & lib. 6. cap. 25.*

(z) *ad Philipp.* 1. 27.

(a) 1. *ad Timot.* 4. 16.

4 Fuſiùs in appendice tantæ rei gravitatem explicabimus in inſtructione, quam omninò ſervari volumus : ſi in aliquo contrà eamdem Prædicatores deliquerint, teneantur Parochi, aliique Clerici ſtatim ad Nos deferre, aliàs ipſi punientur.

5 Monitos etiam hic volumus Artifices omnes de obligatione, quâ ex [b] Decretis Prędeceſſorum noſtrorum obſtringuntur, officinas claudere Concionis tempore, quorum transgreſſores pœnas jam inflictas, gravioreſque arbitrio noſtro irremiſſibilitèr luent.

(b) *Syn. Card de Aſte decr* 10 *de Verb. Dei prędic.*

Digitized by Google

CAPUT QUARTUM.

De Græcis, & eorum Ritibus.

1 QUONIAM Eccleſia noſtra, & Civitas Anconitana, quæ olim nobiliſſima Græcorum Colonia fuit, præclarâ hac etiam varietate circumdatur, ut in ea ſint adhuc, vel propediem confluant, qui græco Ritu, Catholicoque animo Deum colant, ad eos etiam non minus gloriatio, quàm cura noſtra extendi debet, qui quantò coæqualem (c) nobiſcum ſortiti ſunt fidem, tantò ſchiſmaticorum erroribus noſcuntur obnoxii. Satis quidèm proviſum ſcimus à Sede Apoſtolica, nec non à Prędeceſſoribus (d) noſtris in iis, quæ ad rectam Sacramentorum adminiſtrationem pertinent in Paræcia Sanctæ Annæ, ſolliciti tamen quotidiè ſumus de tàm ſalubrium legum adimplemento, cui proſpicere volentes, Græco Parocho pro tempore, injungimus, & præcipimus, ut ſingulis menſibus, ad Nos deferat nomina alienigenarum Græcorum, qui in præfata Eccleſia Sacris interfuerunt, vel Sacramenta ſuſceperunt: Nos inſuper edocens de ſingulorum patria, & de emiſſa ab eis Fidei Profeſſione, ad quam tenentur; volumus enim ut non ſolùm Sacerdotes, qui inibi celebrant, ſed etiam Clerici, & Laici, qui Sacramenta petunt,

(c) 2. *Petri* 1. 1.

(d) *Syn. Card. de Comit. tit.* 2. *Syn. Card. de Aſte decr.* 2.

tunt, vel Sacris aſſiſtere cupiunt, præſertim canendo in Choro (ut accidere ſolet) priuſquam ad ſimilia admittantur, Profeſſionem Fidei ipſis injunctam à Sanctæ mem. Greg. XIII. ad calcem Synodi appoſitam, in manibus noſtris, vel Vicarii noſtri Generalis emittant.

2 Curet autem idem Parochus munus ſuum implère zelando [e] in omnibus Zelum Domini, & quos providus omnium Pater de longinquo ad eum mittit in ſinu Eccleſię ſuę, ut adorent [f] Dominum, & terram habeant in Sanctificationem, enutriat [g] verbis fidei, & bonæ Doctrinæ, quam aſſecutus eſt. Cum igitur ad Miſſam, ut propriæ ſatisfaciant obligationi feſtis diebus conveniunt, prędicet [h] illis Verbum, annuncians tali modo cum Apoſtolo Gręcis Chriſtum, [i] Dei Virtutem, & Sapientiam. Illis autem, qui primam [k] Fidem irritam fecerunt, non omittat opportunè lumen Veritatis oſtendere, ſi fortè faciat [l] Dominus cum eis ſecundùm omnia mirabilia ſua, & convertantur, & vivant.

(e) 1. *Mach.* 2. 54.
(f) *Tob.* 13. 14.
(g) 1. *ad Tim.* 4. 6
(h) 2. *ad Tim.* 4. 2
(i) 1. *Cor.* 1. 24.
(k) 1. *ad Tim.* 5. 12.
(l) *Jerem.* 21. 2.

3 In omnibus Cleri noſtri functionibus, ad quas Parochi convenire ſolent, & ipſe interſit, ac cum iiſdem in ſacro Eccleſiæ ſuæ habitu (ut aliàs factum eſt) generalibus Proceſſionibus interveniat.

4 Hæc addere placuit ſanctiſſimis illis legibus, quas cl. mem. Prædeceſſores noſtri providè ſanxerunt, ad rectum præfatæ Græcorum Pa-

Parœciæ gubernium, exactam eorumdem obſervantiam enixè in Domino præcipientes.

CAPUT QUINTUM.

De Feſtorum Dierum Obſervatione.

1 NObilissima Fidei Comes Virtus, Religio, in iis maximè elùcet obſequiis, quæ à fidelibus, ſelectis ſibi à Deo, certis anni diebus, Divinæ Majeſtati ſuæ, quà par eſt, ſedulitate præſtantur. Hinc invidus Divini honoris æmulator, & hoſtis inſidias quotidie excitare non deſinit, ut quieſcere (m) faciat omnes dies feſtos Dei à terra. Utinam verò fraudaretur à deſiderio ſuo, & Chriſtianorum feſta non eſſent ad præſens, qualia lugebat olim D. Cyrillus Alexandrinus, diebus (n) enim (ait) ad exercenda opera ſervilia conceſſis, unuſquiſque ſuo intentus eſt operi, & abſtinet à crapula, ludis, & vanitatibus; diebus autem feſtis paſſim curritur ad caupònas, ad ludos, ad ſpectacula, ad chorèas in irriſionem Divini Nominis, & diei prævaricationem; Nos idcircò, qui ad cultum Dei reparandum in Apoſtolico, quo fungimur, munere, licet impares, & immeriti vocati ſumus, omnem in re tàm gravi abuſum extirpare volentes, exactè in primis ſervari præcipimus, quæ in Edicto

(m) *Pſ.73. 8.*

(n) *S. Cyrill. Alexandr. l.8. in Jo. c. 5.*

ɫto noſtro de Obſervantia Feſtorum ſub datum die 13. Novembris 1720. promulgata ſunt, cujus tenorem, pœnaſque in eo comminatas hìc renovare intendimus.

2 Quia tamen in pręfato Edicto noſtro ea tantùm attacta ſunt, à quibus, feſtis diebus abſtinère debent fideles, ne (o) injunctâ à ſervilibus abſtinentia, & otio (ut monuit D. Auguſtinus) abutantur ad nequitiam, edoceant ſæpè Parochi quid inſuper ad plenam Feſtorum Obſervantiam peragi oporteat; nihil aliud (p) enim eſt (ait Nazianzenus) feriari noſtrum, quàm animæ aliquid eorum aggerere, quæ firma ſunt; cum illa (q) ſanctificari dicantur in lege, quæ cultui divino applicantur. Quapropter impigro ſtudio ſuadère ſatagent, ideò ſacros hos dies ab operibus ſervilibus immunes eſſe jubèri, ut (r) in Sacrorum Myſteriorum meditatione, divino cultu, ac pietatis operibus tranſigantur, ac propterea multò cautiùs abſtinère eos debere à chorèis, ludis, pręſertim vetitis, commeſſationibus, ebrietatibus, & ſimilibus operibus carnis, quæ in diaboli ſervitutem inducunt, ſed potiùs ad exemplum Majorum noſtrorum primitivæ Eccleſiæ Fidelium, perſeverantes (s) in Doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis, & Orationibus, in (t) Eccleſiis benedicere Deo Domino, ſalutarium Sacramentorum pabulo animæ vires reficere, & ſacrà Verbi Dei prædica-

(o) *S. Aug. in Pſ. 32.*

(p) *S. Greg. Nazianz.*

(q) *S. Thom. 2. 2. q. 122. art. 4 ad 4.*

(r) *Urb. VIII. Côſt. 52. Univerſa. Trid. ſeſſ 25. de diebus feſtis. Can. Omnes fideles. Can. Miſſas de conſecr. diſt. 1. S. Pius V. Conſt. Cum primū. Can. Commeſſationes diſt. 4. Can. Irreligioſa de Conſecr. diſt. 4. Trid. ſeſſ. 25. de Invoc. & Vener. Sanct. Ad Galat 5. 19.*

(s) *Act. 2. 42.*

(t) *Pſ. 67. 27.*

dicatione cœleſtibus inſtrui diſciplinis.

3 Ut autem omnes ſalutaribus oblectamentis allecti, à perniciosis ſæculi vanitatibus, ac irreligioſæ libertatis offendiculis abſtrahantur, Parochi diebus feſtis omne ſtudium adhibeant, ut populum ſive in frequentia Sacramentorum, ſive in paſtoralibus poſt Evangelium documentis, faciliori (qua poſſunt) methodo, & captui ſimplicium hominum accommodatis, ſive in Doctrina Chriſtiana docenda, ſive in Veſperis canendis, & Beatiſſimæ Virginis Roſario recitando, ſive in aliis ingenioſæ pietatis exercitiis occupent.

4 Nos interim ut maximum de medio tollamus, quod juxta (u) iter ſcandalum poſuerunt venientibus (x) ad cultum Domini Dei ſui, improbi inimici illi, qui malignantur (y) in Sancto, quibuſve in tantum Chriſtiani nominis dedecus facile eſt, dum divina perſolvuntur Officia, Templa Dei depopulari, & vinarias cellas fidelibus implère, volumus omninò quod feſtis diebus neque in ganeis, neque in privatis domibus potatores ad bibendum admittantur, uſque ad vigeſimam ſecundam diei horam, in qua permittimus eaſdem ganeas ad populi commodum aperìri; dummodò tamen nullus inibi alearum (z), taxillorum, aut ſimilium ludus permittatur, & horà prima noctis, potatoribus dimiſſis, eædem ganeæ omninò claudantur; contrafacientes pœnà carceris, aut aliis

(u) *Pſ.139.6.*
(x) *Judith.5.17.*
(y) *Pſal.73.1.*
(z) *Synod. Card. de Comit. tit. 11. 10.*

Digitized by Google

aliis arbitrio noſtro punientur, tàm ſi miniſtri venditores fuerint, quàm principales vinum proſcribentes, eamdemque pœnam potatores non effugient.

5 Quinimò ad innumera reparanda ſcandala, quæ ex nocturnis hujuſmodi in ganeis potatorum conventibus oriri ſolent, ad blaſphemias, rixas, & familiarum depauperationes inde provenientes avertendas, manum libenti animo dantes providis, aliàs deſuper emanatis à Gubernio laico, ſanctionibus, ſub iiſdem pœnis ſuprà latis, volumus quod feriatis etiam diebus horà prima noctis, iiſdem potatoribus excluſis, ganeæ claudantur omninò, nec in eis, ad præſcriptum in [a] Synodo cl. mem. Eminentiſſimi de Comitibus, ullo unquam tempore ludis ſuprà vetitis detur opera.

6 Circulatores [b], aliique hiſtriones diebus feſtis, etiamſi in iiſdem pharmaca extrudendi à Nobis, vel Vicario Generali noſtro permiſſionem obtinuerint, non audeant ante vigeſimam ſecundam horam diei, nec unquam tempore Quadrageſimali, & prope Eccleſias, publica exhibère ſpectacula quavis occaſione, aut prætextu; nec conventicula cogere, ſeù ſcamna conſcendere; ſive quoquo modo publicè nugari, ſub pœna carceris, aliiſque arbitrio noſtro. Nullo tamen unquam tempore hoc liceat mulieribus, etiamſi uxores ſint eorumdem hiſtrionum, ſeu circulatorum, qui

(a) *Syn. Card. de Com. T. 38. c. 1.*

(b) *C. nullus 15. q. 4. C. placita, C. nullus Ep. C. conqueſtus de Feriis. S. Pius V. Conſt. cit.*

D gra-

gravibus ad arbitrium noſtrum pœnis punientur, niſi à ſcurrilibus, & obſcænis omninò abſtineant.

7 Præter ea, quæ in præcitato noſtro Edicto proſcripta jam ſunt de choreis, feſtis &c. prohibemus inſuper feſtis diebus conventicula, fieri quandoque ſolita ante fores domorum inter diverſi ſexus homines, ſonitus, aliaque, quæ recreationes vocant, ſed verè immoderati animi relaxationes ſunt, ſub pœna amiſſionis citharæ, & cujuſcumque alterius inſtrumenti, ac etiam carceris ad noſtrum arbitrium. Sub eadem pœna carceris, aliiſque ad arbitrium, vetitum ſit feſtis diebus Sericum flectere, ſeu curare, & tonſoribus, tàm in officinis etiam clauſis, quàm in privatis domibus artem exercère: horum autem ordinaria pœna erit amiſſio duorum juliorum pro qualibet vice, in cultum Eccleſiæ, ſeu Cappellæ eorumdem Sodalitatis, applicandorum.

8 Moleſtior, quæ nos angit ſollicitudo, de noſtri portus piſcatoribus eſt. Horum enim non pauci extra legum fines mare autumantes, quia in eo verſantur nulli ſe obſtrictos Chriſtianæ Profeſſionis debito credunt, & Feſta Domini cum prophanis diebus confundere
(c) *Pſal.* 35. 4. non verentur. (c) Intelligant & ipſi aliquando,
(d) *Pſal.* 138 8. 9. ut benè agant, etſi habitaverint (d) in extremis maris, illuc manum Domini eos deducere, & dexteram ejus tenère eos; quapropter quò

ma-

majora à Deo recipiunt beneficia, plura ipſi obſequia debere; & abſurdum nimis eſſe ſupremis ejus, cui mare (e), & venti obediunt, præceptis, obedientiam à filiis denegari. Abſtineant igitur omninò feſtis diebus à ſervilibus illis operibus, quæ & ipſis, ſicut cæteris à Divinis, Eccleſiæque legibus prohibentur; naves ſarcire, retia reficere, ac abluere, aliaque ad uſum nauticæ artis opera in feriatos differant dies. In pervigiliis Feſtorum ad piſcandum nunquam exeant, niſi in vicinia, ità ut certi omninò ſint de reditu ad ſatisfaciendum Eccleſiæ præcepto, & prompti eadem, ut par eſt, celebrare. Qui in mare fuerint, opportuno tempore redeant, niſi contrarius ventus impediat, de quo deputandi à Nobis timoratæ conſcientię periti certiorare Nos non omittent. Tranſgreſſores pœnâ carceris, & aliis etiam pecuniariis, cultui Eccleſiæ, ſeu Cappellæ in honorem Sancti Protectoris eorumdem Piſcatorum erectę, immediatè applicandis, quarum tertia pars accuſatori dabitur, irremiſſibiliter punientur; & Parochi, nec non eorum Sodalitatis, ſeu Congregationis Superiores, quoſcumque noſtris hiſce legibus inobedientes ad Nos promptè deferre teneantur.

(e) *Matth.* 8. 27.

9 Invigilet inſuper ipſorum Parochus, ut non ſolâ Miſſæ auditione feſta ſanctificare contenti ſint, sed aliis piis operibus ſedulò incumbere non omittant, præſertim Inſtructioni,

Digitized by Google

quam in Eccleſia Sanctæ Anaſtaſiæ ad proſpiciendum eorum in Fidei rudimentis inſcitiæ, per dilucidam Catechiſmi explicationem providè aperuimus; ac pium hujuſmodi colentibus inſtitutum præmia, & noſtros ſpondeat in omnibus favores; negligentibus indignationem minetur, & pœnas, quibus damnabilem eorum ſocordiam coercère omninò decernimus.

10 Sed quoniam ad plagas maris, & ad ſcandala inde per abuſum provenientia deſcendimus, feſtis diebus, nec ullo unquam tempore Piſcatorum pueri, aut alii quicumque in maris littore immodeſtè (ut aſſolent) nudi conſiſtant, tanto cum juvenilis verecundię detrimento, & ſpectantium, perſæpè etiam mulierum ſcandalo; cui proſpicientes, volumus omninò, ut impoſterùm non ſolùm natatores, ſed etiam ii, qui ad ſe lavandum ſubdie ad mare deſcendunt, in abdito loco, & non ſub domorum feneſtris, nec ad proſpectum Monialium hoc facere audeant, fæmoralibus ſaltem amicti ſint ſemper, nec turmàtim, & tumultuariè, ſed cautè, & modeſtè (ut Chriſtianos decet); (*) gratia enim verecundiæ ſuper aurum. Quicumque contra hoc Decretum quid minimum attentaverit, ſeverè, & exemplariter punietur; in eum ſiquidem pro modo culpæ, & ætatis per inquiſitionem omninò procedemus.

(*) *Eccli. 7. 21.*

11 Initium, & extenſionem dierum feſtorum

rum nullus ignoret, ſed quilibet ſciat feſtum diem[f] incipere à dimidio præcedentis noctis, & extendi ad dimidium ſubſequentis.

12 Tempore [g] vindemiarum, meſſis, & recollectionis fructuum, vel ubi neceſſitas urget, aut pietas ſuadet, quibus cauſis laborare diebus feſtis permittitur, id non fiat niſi prȩvià licentia à Nobis, ſeu à Vicario noſtro Generali, vel ſaltem Foraneis, aut his abſentibus, à Parochis obtinenda; eâ tamen conditione adjunctâ, ne Sacri auditio ullo modo prætermittatur, ſub pœnis in citato Edicto noſtro contra feſtorum prophanatores inflictas.

13 Ne autem ignorent populi, præcipuè rudiores, quos dies ſanctificare oporteat, omnibus Parochis, & Eccleſiæ Rectoribus diſtrictè præcipimus, & mandamus, ut diebus Dominicis [h] inter Miſſarum ſolemnia dies feſtos hebdomadæ ſequentis annuncient; & pridie quoque diei feſtivi, ſtatim poſt ſignum ſalutationis Angelicæ, campanas omnes pulſare curent, ut eo ſonitu quiſque & ſolemnitatis admoneatur, & ad divinum cultum impenſiùs excitetur. Catalogum autem feſtorum dierum totius anni ad calcem Synodi reperire eſt.

In append.

14 Supereſt nunc de feſto inviciſſimi Martyris, principalis Patroni noſtri S. Cyriaci ea ſtabiliter decernere, quæ ad reparandum, jam propè collapſum, ei debitum cultum per imbecillitatem noſtram inſtituta nuper fuerunt. Ad ſo-

(f) *Cap. Quoniam 2. de Feriis, cap. Conſuluit 24. de off. & poteſt. Jud. del. l. more Romano ff. de Fer.*

(g) *Cap. fin. de Feriis l. 1. 2. 3. ff. eod. tit.*

(h) *C. denique diſt. 4. C. ſtatuimus d. 72. C. ſolent de Conſecr. d. 1. C. pronunciandum d. 3. eod. tit 6. Synod. Conſtantinop. c. 56.*

Digitized by Google

ſolemnia itaque ipſius natalitia nobiſcum celebranda conveniant in Cathedrali noſtra totius Diœcèſis Parochi, Plebani, aliique curam animarum habentes, qui non ſolùm inibi ex antiqua conſuetudine Miſſam per ſe celebrare teneantur, ſed Sacramentum Pœnitentiæ miniſtrare, & alia exequi, quæ in Edicto ad valvas Sacriſtię quotannis affigendo pręſcribuntur. Sacerdotales ſecum deferant veſtes pretioſiores, quas habent, quibus induti non tantùm ſolemni de more interſint Proceſſioni, quæ in pervigilio feſti fieri ſolet, ſed & Pontificalibus à Nobis exercendis tàm in primis, & ſecundis Veſperis, quàm ad Miſſam. Clerus univerſus inſuper tàm Sæcularis, quam Regularis, Laicorum ſodalitates, & alii omnes, qui de jure, vel conſuetudine intervenire debent, eidem Proceſſioni interſint. De Clero autem ſæculari qui ad Pontificalia omnia cum Parochis intereſſe tenetur, Diaconi, & Subdiaconi Dalmaticis ac reſpectivè Tunicellis induti aſſiſtant; omneſque prompti ſint ea munia obìre, quæ in præfato Edicto injuncta fuerint, ſub pœnis in eodem expreſſis, & aliis arbitrio noſtro. In pervigilio ſolemnitatis à prima noctis hora uſque ad ſecundam, tàm in Civitate, quàm in Diœcèſi campanæ omnes pulſentur, quo fideles omnes tanti Martyris efficaciſſima protectione lætantes, ad debitum ei exhibendum obſequium in die ſolemnitatis, & lætitiæ exciten-

tentur; ad Sacra ejus Baſilicæ limina certatim confluant; nec ullus deſit, qui triumphales dilecti Patris exuvias, in pignus ſingularis ſui erga Diœcèſim noſtram amoris in Cathedrali quieſcentes, toto cordis affectu veneretur, & de obtentis gratias agens, potiora ſibi quiſque, & univerſæ Diœcèſi impetret beneficia.

15 Monitos denique hic omnes volumus, pœnas in toto hoc capite contra feſtorum quomodolibet prophanatores inflictas, irremiſſibiliter, & per inquiſitionem etiam, fore exequendas.

CAPUT SEXTUM.

De Sacroſanctis Eccleſiis, & Proceſſionibus.

1 ZElus Domus Domini, qui in Prædeceſſoribus noſtris eminenter effulſit, providis adeò legibus (i) veluti pretioſis gemmis Jeruſalem (k) novam, deſcendentem de Cælo à Deo pararunt, ſicut ſponſam ornatam viro ſuo, ut nil aliud Sacroſanctę huic Synodo optandum in rè tantâ ſuperſit, quàm exacta earumdem legum obſervantia: Sanctitudo (l) ſiquidem, quæ Domum Dei decet in longitudinem dierum, noſtris hiſce temporibus ab ipſiſmet Eccleſiarum cuſtodibus neglecta violatur, quia periit (m) memoria optimarum le-

(i) *Syn. Card. de Com. tit. 21. Syn. Card. de Aſte Decr. 16.*

(k) *Apocal. 21. 2.*

(l) *Pſal 92. 5.*

(m) *Pſal 9. 8.*

Digitized by Google

legum cum ſonitu. Ad reparandum igitur Tabernaculo (n) Dei cum hominibus debitum cultum, Sacriſtæ, & Eccleſiarum Rectores omnes attentè legant, imò tranſcripta ſemper habeant apud ſe, & in Sacrario affixa Synodalia de Sacroſanctis Eccleſiis à Prædeceſſoribus noſtris emanata Decreta, paucis, quæ hic addere placuit, annexa, nec non Edictum noſtrum deſuper promulgatum die 15. Decembris anno 1717., quod hic renovare intendimus; ſciantque eorumdem obſervantiam ab ipſis imposterum requirendam.

(n) *Apoc.* 21.3.

2 Eccleſias proinde non ſolùm dum divina perſolvuntur officia, ſed alio quocumque tempore circumeant; prophanatores, quicumque ſint, Sacerdotali Zelo, nomine etiam noſtro coarguant; inobedientes verò ad Nos deferant, ut juxta (o) ſacrarum Conſtitutionum, & præſertim S. Pii Quinti regulas, pœnis gravioribus in eos procedamus; ſi in minimo defecerint, eaſdem pœnas ipſi ſubibunt.

(o) *Trid. ſeſſ. 22. de obſerv. & evitand.* Can. *in Oratoria diſt. 42. Can. mos antiquus &* Canon. *Quoniam diſt. 65.* Cap. *decet de Im. Eccl. in 6. S. Pius V. conſt. Cum primum.*

3 Ne fidelium preces, aut quæcumque Eccleſiaſticæ Functiones per importunas excurrentium pauperum quærimonias in Eccleſiis perturbentur, ſedulò curent Parochi, Sacriſtæ, ſeu quicumque alii Eccleſiarum moderatores, tàm Sæculares, quàm Regulares omnimodam obſervantiam dictæ (p) Pianæ Conſtitutionis à tot Summis Pontificibus commendatæ; ac proinde pauperes hujuſmodi circumire non ſinant, ſed

(p) *S. Pius V. Conſt. cit. Innoc. XI. in Edicto pro Urbe die 23. Septemb. 1679. n. 4. Syn.* Car. *de* Com. *Tit. 28. c. 2.*

ſed ad Eccleſiarum valvas ſiſtere faciant, ſub pœnis ad noſtrum arbitrium infligendis pro qualibet vice, qua eos compeſcere neglexerint; ſintque etiam moniti Fideles ut eleemoſynas pauperibus in opportuniori loco religioſiùs elargiendas reſervent. Pertinacium pauperum pœna erit obtentam quæſtuandi in Diœcèſi licentiam amittere, & ſi quid eleemoſynæ lucrati fuerint in Eccleſia, ad fores ejuſdem obedientibus aliis miſeris, ſub executorum noſtrorum oculis, diſtribuere.

4 Vereantur aliquandò Fideles, cum ad (q) confitendum Nomini Domini Auguſtiſſimam Domum ejus accedunt, canes ſecum deferre, quos terreni Principis ædes ingredi non ſinerent. Quæſtuantes certè fidelium devotionem perturbant, ſed canes omninò pervertunt, dum per latratus, & concurſationes divinam rem, & Dei verbum fædè interrumpunt, & per laſcivas perſæpe nugas, intuentium oculos fædiſſime offendunt; illos itaque (omni humano reſpectu poſthabito) Sacriſtæ in manu forti ejiciant; ſi quis autem canem ſuum potius, quàm Dei honorem curans, reſiſtere verbo, vel facto præſumpſerit, ſe præceptis noſtris reſiſtere ſciat, debitaſque audaciæ pœnas protinus daturum. Sacriſta verò, vel quicumque alius Eccleſiæ cuſtos ſeverè punietur, niſi refractarium hujuſmodi quàm citiſſimè ad Nos deferat.

(q) *Pſal. 121. 4. Syn. Car. de Ajc Decr. 16.*

5 Curent Eccleſiarum cuſtodes ne in Tem-

E plo

plo Domini quidquam [r] incultum ſit, ſordibuſque obſoleſcat, ſed omnia nitidiſſimo, ac religioſo cultu colluceant: & pręcipuè ut Altaria congruâ rerum ad eorum uſum, ac ornatum ſpectantium copiâ, & politùra excolantur; utque pavimenta ſemel ſaltem in hebdomada, videlicet die Sabbati verrantur. Negligentes pro modo culpæ, emolumenti, aut beneficii fructuum parte ad noſtrum arbitrium privabuntur.

(r) C. Veſtimenta diſt. p. de Conſec.

6 Immodeſtè ornatę fœminę à Domo Domini procul abeant; ſi enim indecens eſt [s] mulierem non velatam orare Deum, quàm ſacrilegum erit in [t] loco habitationis Gloriæ ſuæ ignominiam laſcivi habitus oſtentare? offendicula [u] ponere in Domo Domini, in qua invocatum eſt nomen ejus, & non nuptiali [x], imò ſcenica veſte ad regias Immaculati Agni dapes accedere? in hoc præcipuè Sacri Eccleſiarum cuſtodes eſſe debent, ut abominationes [y] hujuſmodi non ſtent in loco Sancto. Paternè idcircò prius moneant [z] Parochi, & Confeſſarii incautas mulieres; quod ſi non profecerint, à Sacramentorum participatione ſubmoveant.

(s) 1. Cor. 11. 13.

(t) Pſal. 25. 18.

(u) Jerem. 7. 30.

(x) Math. 22. 11. 12.

(y) Math. 24. 15. Marc. 13. 14.

(z) Can. liceat Q. p. Can. in actione de Pęnit. diſt. 1. S. Carol. in Inſtr. pro admin. Sacr. Ex liter. Encicl. Inn. XI. 1685. Nicolaus I ad Conſult. Bulg. c. 58.

7 Ad evitanda ſcandala, quæ horis nocturnis fortè in Eccleſiis committi poſſent, omnibus, & ſingulis Eccleſiarum Sacriſtis, aut Pręfectis, ſive locorum Superioribus præcipimus, ut [a] poſt datum ſalutationis Angelicæ ſignum, horà

(a) S. Cong. Ep. de mandato Inn. X. in Neapol. 22. Jan. 1677. & 10. Septembris 1653.

horà vigeſima quarta Eccleſiæ omninò claudantur, ut nemini ad eas amplius pateat aditus, & ingreſſus, ſub pœna interdicti, aliiſque ad noſtrum arbitrium. Quamobrem ſpirituales quæcumque exercitationes, quæ in Eccleſiis, aut Oratoriis fiunt (maximè ubi mulieres admittuntur) ante prædictam horam vigeſimam quartam terminentur.

8 In publicis ſupplicationibus, quę frequenter in hac Civitate fiunt, caveant fideles ne, cujus Majeſtatem in cœli, terræque conſpectu veneraturi procedunt, irreverentiâ, immodeſtiâque laceſſant, ac ſpectantium animos, quos tanto Religionis cultu ad pietatem accendere, atque ad Divina Myſteria recolenda excitare deberent, indecòris actibus, inordinatoque inceſſu ad contemptum potius, riſumque commoveant.

9 Quoniam verò omne malum ex irregulari comitantium mulierum, virorumque permixtione, qui ut plurimum Sacram Proceſſionem ità confundunt, ut nullus in ea appareat procedentium Clericorum Ordo; ſub gravibus arbitrio noſtro pœnis præcipimus ut nemo, dum hujuſmodi ſupplicationes fiunt, audeat ſe immiſcère inter Confratres, & Eccleſiaſticos, tàm Sæculares, quàm Regulares, ſed devote, & quantum fieri poteſt, (b) ſervatà marium à fœminis ſegregatione, ſacram quiſque Proceſſionem ſequi contentus ſit.

(b) *Syn. Card de Aſte Decr. 24. de Proc.*

E 2 10 Quò

10 Quò certiùs autem præſcriptus ordo ſervetur, ablegentur omninò à ſacris Proceſſionibus pueri, Angelorum ſymbola repræſentantes, [c] puellæ, Monialium veſtibus amictę, aliæque omnes ſcenicæ hujuſmodi repræſentationes, quæ turbam excitant, & devotionem perturbant. Ad hæc exequenda, quotieſcumque ſupplicationes fieri contigerit, Confratres aliquot, vel Clerici, ætate, & modeſtiâ graviores ſemper deputentur, qui de fideli Decretorum noſtrorum adimplemento Nos edocère, & rationem reddere teneantur.

(c) *Conc. Mediol. 1. part. 2. tit. de Proceſſ.*

PARS

PARS SECUNDA.

CAPUT PRIMUM.

De Sacramentis in genere.

1 UBERRIMI gratiarum fontes, qui de aperto Chriſti latere fluxerunt ad irrigandam Eccleſiam ſuam Sacramenta ſunt novæ Legis; hæc immensâ divini Amoris liberalitate Sacerdotum fidei tradita, uberem, quem exigunt, fructum, debitumque honorem tanquam à fideli eorum adminiſtratione pendentem, ab ipſis expectant. Quanta idcirco in hujuſmodi Myſteriorum (d) Dei, & Chriſti Sanguinis diſpenſatoribus vigilantia requiritur, ne eorum incuriâ pretioſi cruoris gutta depereat?

Quam (e) nitidi, & puri, interiùs, exteriùſque in moribus, & in habitu ſancto debent eſſe, qui non infirma (f), & egèna elementa, ſicut priſci illi antiquæ Legis Sacerdotes, ſed copioſam (g) Paſſionis Chriſti Redemptionem ſingulis quotidie redemptis propinare vocati ſunt? certè in antiqua illa figurarum umbra coinquinari (h) querebatur Dominus in medio mi-

(d) *1. Cor. 4. 1. 2.*

(e) *Can. ipſi Sacerdotes. Can. neque & Can. per Iſaiam 1. q. 1.*

(f) *Ad Galat. 4. 9.*

(g) *Pſal. 129. 7.*

(h) *Levit. 21. 17. & ſeqq.*

miniſtrorum, ſi (i) maculam ad Sanctuarium ferebant, ſi caput non diſcooperuiſſent, ſi ad mortuum, vel Patrem, fuiſſent ingreſſi: in quibus, aliiſque levioris momenti Sancta (l) ipſa Domini pronunciabantur polluta. Caveant proinde ſacratiores novi Teſtamenti Miniſtri Sancta ſanctè tractare; immaculatos in primis ita ſe cuſtodientes à ſæculo (m), ut ſine labe, puri, omni fermè temporis momento ad tantæ adminiſtrationis munus obeundum parati inveniantur.

2 Talari (n) ſemper veſte, ſuperpelliceo, & Stola functioni congruente, in tam ſacra, & tam ſublimi utantur actione. Nec unquam in Sacramentorum miniſterio, ſicut nec in ſacris Proceſſionibus (o) ſuperpelliceum induant ſuper non talarem veſtem, ſub pœna ſuſpenſionis à Divinis. Quod ſi ex longi itineris aſperitate, cum ad infirmos Sanctiſſimum Viaticum deferri contigerit, notabile à talari veſte timeatur incommodum, in tali caſu breviorem habitum indulgemus, qui tamen non multum differat à talari.

3 Specialem inſuper induant decòrem, (p) religioſam præſeferentes gravitatem, dum Sacras explent cęremonias; non diſtracti, non feſtinantes, in iis præſertim, quæ ad Sacramentorum ſubſtantiam pertinent. Semper præ oculis habeant Rituale Romanum, etiamſi ejuſdem ritus, & ordinem ſatis tenère confidant.

Nec

(i) *Ibid. 10. 11. 12.*

(l) *Levit. 19. 8.*

(m) *Trid. ſeſſ. 22. de Sacrif. Miſſæ c. 4.*

(n) *Concil. Prov. Mediol. S. Caroli p. 2. tit. de rat. Divin. Off. Syn. Car. de Aſte Decr. 20. de vit. & honeſt. Cler. Idem Decr. 21. de celeb. Miſſ.*

(o) *Syn. Card. de Aſte loco cit.*

(p) *Can. nolite d. 21. C. Tribus gradibus de Conſec. d. 2. C. Numquid d. 5. eod. tit. Inn. I. ep. 1. in princ. Gelaſius ep. 9. Trid. ſeſſ. 7. Can. 12. & 13. de Sacram. Paulus V. Conſt. 8 Apoſtol. ad Can. Quando Præsbyteri diſt. 38. Rit. Rom. in rubr. de Sacramentam.*

Nec novis, quos in adjutorium aſſumunt, Cappellanis permittant Parochi eadem miniſtrare, niſi pluries ſibi ipſis prius adſtiterint miniſtrantibus: dum verò poſt hæc, ſimilia exercère cęperint ſub eorumdem Parochorum oculis ſemel, atque iterum id fieri mandamus, antequam liberum in re tam gravi exercitium proſequantur. Quam Parochorum aſſiſtentiam omninò etiam requirimus reſpectu illorum, quos debitâ cum licentiâ in ipſorum Paræciis Sacramentum aliquod pariter miniſtrare contigerit, dummodo de eorum omnimoda peritia dubitari non poſſit.

4 Ità denique multiformis (q) gratiæ Dei Diſpenſatores Sacramenta miniſtrent, ut & illa cum debitâ reverentia, atque honore tractentur, & eorumdem cultus, ac devotio in animis adſtantium, & præcipuè ſuſcipientium excitetur; quod ut faciliùs conſequantur, antequam ad actum deveniant, brevia, eaque efficacia de illorum excellentia, fructibus & utilitate verba ex corde facere non omittant, niſi aliter urgens neceſſitas, aut aliæ circumſtantiæ ſuadeant.

(q) 1.Petri 4.10.

5 Meditentur aſſiduè ſummum, quo Divinus Auctor æſtuabat, amorem, dum ea inſtituit Sacramenta, quæ ipſi diſpenſant; in atrociſſimâ Chriſti Paſſione, & vulneribus pretium recolant tàm ſublimium donorum, quò ferventiores reddantur, & prompti ad quęque ſubeunda

da pro fideli tanti muneris executione. Quâcumque (r) diei, vel noctis horà ad Sacramenta miniſtranda vocati, nullâ interpoſita mora, alacri, libentique animo accurrant: imò cum primùm ſuos de Parochia ęgrotare intellexerint, ad eos ſtatìm, etiam non vocati, conveniant; nec morentur Sacris Myſteriis reficere, ut opportuno tempore, languentes, æſtuanteſque animi hauriant (s) aquas in gaudio de Fontibus Salvatoris; ſi ſecus egerint, & eorumdem negligentiâ quempiam (quod Deus avertat) Sacramentis non refectum mori contigerit, ultrà enormis admiſſi ſceleris reatum, pęnis arbitrio noſtro graviſſimis punientur.

(r) *Can. Divinis 25 q.1. Conc. Later. 3 cã. 13. Trid. ſeſſ. 6. c. 2. & ſeſſ. 23. c. 1. de reform. Can. Quicumque de Conſecr. diſt. 4.*

(s) *Iſaiæ 12. 3.*

6 Plura his addere non libet, cum ſatis expreſſa in Synodo cl. me. Cardinalis de Comitibus habeantur.

CAPUT SECUNDUM.

De Sacramento Baptiſmi.

1 TRADITIS de Sacra Doctrina præceptis, pauca non incongruè de Baptiſmo adnectimus, Chriſti Domini morem obſequentes, qui (t) poſt injunctum Apoſtolis munus edocendi omnes gentes, ſublime de hoc Myſterium aperuit, pauciſque, ſed gravibus divinæ ſuæ eloquentiæ verbis modum, formam, materiam, neceſſitatemque ejuſdem ex-

(t) *Math. 28. 19.*

expoſuit; dicens, -- Baptizantes [u] eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti -- Grandis quidem in hoc apparuit benignitas [x], & Humanitas Salvatoris noſtri Dei, qui non ex operibus juſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundùm ſuam Miſericordiam ſalvos nos fecit per [y] lavacrum regenerationis non in Moyſe baptizatos, ſicut Patres noſtri, in nube, & in mari, ſed pretioſo Sanguine [z], quaſi Agni immaculati Chriſti, & incontaminati. Quoniam verò non ſolùm reconciliavit [a] nos ſibi per Chriſtum, ſed dedit inſuper nobis miniſterium reconciliationis, ut immenſum hoc donum gratiæ, quam in filios adoptionis effùdit, ritè ſuſcipiatur, Sacri Eccleſiæ Miniſtri ſtudiis omnibus attendere debent.

(u) *Math. ibid.*

(x) *Ad Tit. 3.4.5.*

(y) *1. Cor. 10. 2.*

(z) *1. Petri 1. 19.*

(a) *2. Corint. 5. 18*

2 Inconcuſſa Eccleſiæ Doctrina circa rectam hujus Sacramenti adminiſtrationem, ritus, regulæque in dubiis ſervandæ abundè ſatis in pręcedentibus Synodis [b] declaratę (quas hic repetere ſuperfluum eſt) ab omnibus inviolabiliter obſerventur. Ad ea autem, quæ jam ſtatuta ſunt, hæc addere operæ pretium duximus.

(b) *Syn. Card. de Com. tit. 4. de Sacram. Baptiſmi.*

3 Nemo [c] caſum neceſſitatis effingens ad privatos quoſcumque fines differendi ſacras Baptiſmi cæremonias, audeat domi citrà periculum verè imminentis mortis, Infantem baptizare, ſub pœna excommunicationis, aliiſque arbitrio noſtro, tàm pro baptizantibus, quàm

(c) *Can. Clericos de Conſecr. d. 4. Clement. unica de Bapt. Ritual. Rõ. de temp. & loco adminiſtr. Bapt. §. Itaque. Syn. Car. de Comit. hoc tit. cap. 5.*

Digitized by Google

pro baptizatorum parentibus. Quinimò ut tantæ, modis omnibus, occurramus irreverentiæ, & debitum cæteròquin Sacroſanctis Eccleſiæ ritibus ſervetur obſequium, diſtrictè præcipimus ut Infantes quicumque, etiam in caſu veræ neceſſitatis domi baptizati, intrà triduum, (d) vel ſi infirmitatis impedimento detineantur (de quo medicorum in ſcriptis juratam atteſtationem Parochis exhiberi volumus) cum primùm per valetudinem licuerit, ad Eccleſiam deferantur; ubi ſi rectam Baptiſmi formam ſervatam eſſe conſtiterit, (e) eis tantùm Ritus, ac cœremoniæ baptiſmi adhibeantur. Contrafacientes, & Parochi non reclamantes, eidem excommunicationis pęnæ, aliiſque arbitrio noſtro ſubjaceant.

4 Cum ſæpe caſus eveniant (f), in quibus tàm ab aliis de populo, quàm etiam à mulieribus Baptiſmum adminiſtrari oporteat, Parochi populum ea, quę ad hujus Sacramenti ſubſtantiam pertinent etiam linguà verenacula doceant, tùm aliàs ſępe, tùm pręcipuè cum inter Miſſarum Solemnia, uti pręcepimus, rudimenta fidei, & ejus articulos fidelibus explanant, atque etiam tunc cum Catechiſmum pię mem. Cardinalis Bellarmini eoſdem fideles, pueroſque ex officio edocent. Statim ac ſciunt aliquem de Parochia in neceſſitatis caſu ſic baptizatum, antequam etiam idem ad Eccleſiam deferatur pro ſupplendis cæremoniis, diligenter in-

(d) *Syn. Card. de Comit. l. cit. c. 3.*

(e) *Ritual. Rom. de Sacram Bapt. ritè adminiſt.*

(f) *Cap. Firmiter de Summa Trinit. Concil Florent. in Decr. Eug. IV. C. lumina 30. q. 1. C. in neceſſitate cap. Romanus d. 4. de Conſecr.*

inquirant (g), an ritè, rectèque omnia ad Baptiſmum neceſſaria fuerint peracta, ut opportuno tempore remedium dare valeant, ſi fortè Infans, ut in ſimilibus contingere ſolet, inopinatò, & prius quam ad Eccleſiam feratur, decèdat.

5 Ne autem injuncto muneri non ſatisfacientes Parochi ignorantiam partus allegare valeant, obſtetrices omnes ſub pœnis ad arbitrium, ſtatim ac parienti opitulatæ fuerint, de nata prole Parochum certiorem reddere teneantur.

6 Quoniam plerumque qui Baptiſmum in caſu neceſſitatis adminiſtrant, ſunt fœminæ, quę puerperis obſtetricantur, hæ licet aliàs approbatæ fuerint, antequam obſtetrices agere incęperint, ad præſcriptum in aliis Prædeceſſorum (h) noſtrorum Synodis: cum tamen (ut quandoque compertum eſt) lubricæ ſint memoriæ in retinendis, incorrectæque linguæ in pronuntiandis hujus Sacramentalis formæ verbis, ſæpe, & ad minus ſemel in anno à Parochis examinentur, an Baptiſmi formam aliaque neceſſaria ad Baptiſmum benè didicerint, & memoriæ retineant: repertæ autem ea ignorare, vel in eſſentialibus errare, accuratè, & patienter ab ipſis edoceantur, injuncto eis prius coram duobus teſtibus pręcepto ſub pœnis ad noſtrum arbitrium ſe abſtinendi à præfato exercitio, donec quæ ſcire debent plenè calluerint; de quo atteſtationem in ſcriptis, gratis dandam,

(g) *Ad C. quos c. bi vere de conſec. diſt. 4. C. ſi quis 1. q. 1.*

(h) *Syn. Card. de Aſte Decr. 2. de Bapt. Syn. Card. de Comit. hoc tit. c. 2.*

dam, ſingulis annis oſtendere teneantur Nobis, vel Vicario noſtro Generali, ut in re tanti momenti & de earumdem habilitate, & de Parochorum diligentia certi ſimus.

7 Caveant etiam eædem obſtetrices abortivos parvulos, qui baptiſmo renati ſunt, in ſepulturam privatim, & penè furtivè projicere, ut aſſolent, ne monito quidem Parocho: nefas enim eſt regeneratorum illorum, qui cum Chriſto in Cœlis regnant, exuvias debito Sacrarum cęremoniarum honore privari. Parochi autem lucrum ex hujuſmodi, raris adhuc, funeribus uſque nunc non perceptum, etiam impoſterum negligant.

8 In ſolemni Infantium, ſeu adultorum baptiſmo Parochi ritus omnes, & cęremonias à Rituali Romano pręſcriptas, quâ par eſt, diligentia ſervent & ad Eccleſiæ fores baptizandos recipiant, ibique exorciſmos, & alia expleant, quæ juxta rubricam expleri debent, priuſquam illis ingreſſus in Eccleſiam permittatur; dummodo ex hoc notabile, & non merè imaginarium puero incommodum non ſequatur.

9 Gratam tanti beneficii memoriam in regeneratis omnibus fovère ſtudeant animarum Curatores: de hoc ſæpe ex Altari, ſæpe in Catechèſi ſermonem habeant, totiſque viribus communem facere ſatagant laudabilem nonnullorum praxim, celebrandi, ſcilicet, & conſecrandi orationibus, gratiarum actionibus,

præ-

præcipuiſque Chriſtianæ Pietatis exercitiis anniverſarium illum fauſtiſſimum diem, quo erutus quiſque per lavacrum (i) regenerationis de poteſtate tenebrarum, translatus (l) eſt in Dei lumen, & regnum.

(i) *Ad Coloſſ. 1. 13.*
(l) *S. Leo P. ſerm. 1. de Nativ. Domini.*

10 Ad ea tandem, de quibus juxta præcedentium Synodorum conſtitutiones monère debent Parochi Infantium recenter baptizatorum parentes, illud addere non prætermittant, quod non ſinè gravi cordis noſtri dolore neglectum hucuſque toleravimus; antiquiſſimam nempè Eccleſiæ conſuetudinem, ubique à Chriſtianis Puerperis religiosè ſervatam cui ipſa Immaculata Dei Genitrix poſt admirabilem Unigeniti ſui partum tanto humilitatis, ac Religionis exemplo ſe ſubjicere non dubitavit, omninò impoſterum ſervandam eſſe; volumus enim (m) ut, cujuſcumque ſit conditionis, mulier, quæ peperit, poſt expletum domi puerperium, primos ad Parochialem Eccleſiam greſſus dirigat, ibique Deo Optimo Maximo gratias agens, Benedictionem Domini de manu Parochi accipiat, qua ſibi, & Proli per interceſſionem Beatiſſimæ Virginis divinam opem imploret; inobedientes præter irreverentiæ notam, quam apud Sanctiſſimam Matrem incurrent, pœnas etiam arbitrio noſtro ſubibunt; eas proinde ad Nos deferant Parochi, qui cæteròquin pro hujuſmodi (n) Benedictione nec petere, nec exigere quidquam audeant.

(m) *1. Concil. S. Caroli p. 2. quæ pertin. ad Bapt. Sac. Cong. Conc. in Antuerpien. 12 Novembris 1662 Syn. Car. de Alle Decr. 8. de Sacr. Matr.*

(n) *Taxa Innoc. § pariment.*

CA-

CAPUT TERTIUM.

De Sacramento Confirmationis.

1 PRovidus multiformis (o) gratiæ ſuæ diſpenſator Chriſtus Redemptor noſter, qui in Fonte (p) plenitudinem tribuit ad innocentiam, in Confirmatione augmentum præſtat ad gratiam; & qui in Baptiſmo regeneramur ad vitam, poſt Baptiſmum confirmamur ad pugnam; cum enim colluctari (q) nos oporteat non modò adverſus carnem, & ſanguinem, ſed adverſus etiam mundi Principes, & Poteſtates, & contrà ſpiritualia nequitiæ in Cęleſtibus, (r) virtute nos ex alto exercituum Deus fortiores reddere, & tanquam ſpirituales fidei ſuæ Athlètas Sacro Chriſmate nos inungere inſtituit, ut omnia (s) nequiſſimi hoſtis tela retundentes, tandem incorruptam (t) ab eo coronam reportemus.

2 Convenit propterea noſſe fideles quanta in Nos munerum ſuorum chariſmata effundat Dominus unctione Miſericordiæ ſuæ, & quantà cum pietate, & religionis ardore ad hoc Sacramentum deceat accedere, ut dùm (u) caro inungitur, anima conſecretur.

3 Hæc Parochi (x) populo ſibi commiſſo diligenter proponant ubi tempus hujus Sacramenti adminiſtrandi reſciverint; tunc etiam ex Altari inſtructionem, quam in Appendice dabimus,

(o) 1. *Petri* 4. 10.

(p) *S. Hilar. Arelat. in ſerm. de Pentec.*

(q) *Epheſ.* 6. 12.

(r) *Lucæ* 24. 49.

(s) *Ad Epheſ.* 6. 16.

(t) 1. *Cor.* 9. 25.

(u) *Tertull. lib. de Reſur. c.* 8.

(x) *Concil. Conſt. ſeſſ. ult. in Conſt. Mart. V. Concil. Flor. in Decr. Eugenii P.* 4. *Quantò Trid. ſeſſ.* 7. *c.* 2. *Ad c. Spiritus S.*

mus, publicè legant, & exactæ eorum, quæ inibi injunguntur, obſervantiæ invigilent; in ea enim & quæ à Prædeceſſoribus noſtris ſapienter inſtituta, & quæ Nobis addere viſa ſunt, vulgari idiomate, quò melius à rudibus percipiantur, expreſſimus.

C. de his verò C. omnes C. noviſſima de Conſec. diſt. 5. 1. Conc. Prov. S. Caroli p. 2. hoc tit. & Inſtr. de ſacr. conf. §. primum. Syn. Card. de Com. tit. 5. c. 1. In Appendice.

4 Licet Confirmandi (y) omnes, ne ſeptiformi Spiritus Sancti gratiæ, quæ in hoc Sacramento confertur, obicem ponant, conſcientiâ prius per Sacramentalem Confeſſionem emundatâ, ad Eccleſiam accedere debeant: ut autem commodo ſimul, & ſecuritati conſulatur, dùm Sacra ab Epiſcopo functio peragitur, Sacerdos ad excipiendas confeſſiones paratus in Sede Confeſſionali ſemper aſſiſtat.

(y) Can. ut Jejuni de Conſec. diſt. 5. c. 1. de delictis puerorum. Synod. Card. de Com. tit. 5. c. 2.

5 Schedulæ, in quibus nomina confirmandorum deſcribuntur, per Sacerdotem ad id deputatum, qui probatæ ſit fidei, & ſolertiæ, diligenter colligantur, caveantque Parochi in libro benè compacto, per omnia Baptizatorum libro conformi, adnotare nomina, & cognomina confirmatorum, parentum, & patrinorum, præmiſſo etiam diè, menſe, & anno, juxta formulam Ritualis Romani (z). Si quis autem ultra decem dies hoc exequi diſtulerit graves arbitrio noſtro pœnas luet.

(z) Rit. Rom formul. de ſcrib. Confirmat.

CA-

CAPUT QUARTUM.

De Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento.

1 INTER cætera Divinæ largitatis munera, Sacramenta, ſcilicet, novæ Legis, quibus divites[a] facti ſumus in Chriſto, ità ut nihil nobis deſit in ulla gratia, auguſtiſſimum Sacroſanctæ Euchariſtiæ Sacramentum adeò excellit, ut in eo non tantùm immenſa ſupremi Auctoris Charitas, verùm etiam mirabilium operatrix Omnipotentia videatur exhauſta; in ipſo enim Salvator[b] noſter diſceſſurus ex hoc mundo ad Patrem, divitias Divini ſui Amoris velut effùdit; ſicque (ut Auguſtinus ait)[c] cum eſſet Omnipotens plus dare non potuit, cum eſſet ditiſſimus, plus dare non habuit. Uberes profectò in cæteris gratiarum rivuli ad nos defluunt, in hoc autem[d] ipſum Gratiæ Fontem, & Auctorem Chriſtum Dominum ſub ſpeciebus panis, & vini intra nos ipſos recipimus, ad tantam Divinæ naturæ participationem evecti, ut Chriſtus[e] in nobis maneat, & nos maneamus in Chriſto.

2 Quò major igitur eſt hujus Sacramenti excellentia, eò ſtudioſiùs Fideles omnes[f] non vitulorum ſanguine, ſed Communione Calicis, quo Deus ipſe ſumitur, congregati, & præ-

(a) *1. Cor. 1. 5. 7.*

(b) *Trid. ſeſſ. 13. c. 2. de Sacram. Euchar.*

(c) *S. Auguſt.*

(d) *Trid. ſeſſ. cit. c. 1. & 3.*

(e) *Joan. 6. 57.*

(f) *Eccl. in Off. Corp. Chriſti.*

& præcipue ſacri ejuſdem Miniſtri, quibus [g] ſic congruit, ut ſumant, & dent cæteris curare debent, ut religioſiſſimâ colatur reverentiâ, ac maximâ veneratione tractetur, & ſummo demum aſſervètur decòre.

3 Tabernaculum [h], in quo Sanctiſſimum hoc Sacramentum aſſervari ſolet, affabrè factum, & majori ex parte inauratum ſerico albo intus ornetur, & Corporali mundo, quolibet ſaltem bimeſtri mutando, ſit ſtratum; conopæo foris tegatur, quod pro temporum varietate variis etiam diſtingui debet coloribus: clavis [i] pro Tabernaculo claudendo ſit argentea, vel ſaltèm inaurata, eamque Parochi, vel Sacriſtæ (qui tamen in Sacris ſint conſtituti) nemini fidant, ſed apud ſe cautè, & reverenter retineant. In eodem Tabernaculo nil aliud, etiam Sanctum, præter ipſam Euchariſtiam, aſſervetur, & ante illud in ſignum ardentiſſimi illius amoris, quo fideles omnes Sanctiſſimum hoc Sacramentum proſequi debent, una [l] ſaltem lampas diù noctuque accenſa pendeat, quam ſi, vel ob defectum culpabilem, vel ob Cuſtodis negligentiam extingui contigerit, neque ipſe Parochus, neque alius quiſpiam, cujus culpà id evenerit, immùnis evadet à pœnis arbitrio noſtro infligendis.

4 Duas Pixides [m] argenteas, & intus inauratas unaquæque parochialis Eccleſia habeat, major altera, ad uſum Sanctæ Communionis

G po-

(g) *Eccl. in ſeq. ſolem. Corp. Chriſti.*

(h) *C. olim de celeb. Miſſ. C. p. de cuſtod. Euchariſt. Trid. ſeſſ. 25. de refor. Monial. c. 10. & ſeſſ. 13. c. 6. Rit. Rom. hoc tit.*

(i) *Concil. Later. ſub Inn. III. c. 20. & c. p. de cuſtod. Euchar. Cap. ſane olim de celebr. Miſſ. S. Cong. Rit. in Hiſpalen. 29. Martii 1637.*

(l) *Ritual. Rom. loc. cit. §. hoc autem 1. Conc. Mediol. p. 2. Tit. quæ pertin. ad Euch. Syn Card. de Comit. hoc tit. c. 2.*

(m) *C. Presbyter de Conſec. d. 2 Ritual. Rom. l. c. §. curare 1. Concil. Prov. Mediol. p. 2.*

Digitized by Google

Tit. quę pertinent ad Eucbar.
(n) *Clem. VIII. Conſt 34. Sanctiſſimus ubi pro Gręcis. Conc. Londin. 1. c. 2. Ritual. Rō. l. c. §. Sanctiſſimæ.*

populo in Eccleſia miniſtrandæ, altera minor ad infirmorum neceſſitates; Eædem ſæpius (n) mundentur, & abſtergantur; Sacræ Particulæ frequenter renoventur, nempe hyemali tempore ſingulis ſaltem quindènis, æſtivo autem qualibet octava die.

5 Nunquam à Nobis neceſſaria concedetur licentia exponendi publicæ fidelium adorationi Sanctiſſimum Sacramentum pro quadraginta horarum, vel minoris temporis oratione, niſi conſtito, quod non ſolùm debito cultu, Eccleſiæ ornatu, & eà, qua par eſt, veneratione talis expoſitio fieri poterit, verùm etiam quod tunc temporis fideles ad orandum adſtituri ſint; indecens enim eſt ſupremam Majeſtatem ejus, cui millia (o) millium miniſtrant, & decies centèna millium Angelorum adſtant, abſque continua adorantium aſſiſtentia publicè adorandam exponi; volumus idcircò quod ante Divinum hoc Sacramentum, quotieſcumque per notabile temporis ſpatium exponi contigerit Sacerdotes ſuperpelliceo, & ſtolà induti, vel ſaltem Clerici diſtributis horis preces continenter fundant; idemque fiat à ſodalibus Confraternitatum, quæ in eadem Eccleſia fortè reperiuntur erectæ. Nemini liceat ante conſpectum Divinæ Majeſtatis ſuæ, cui flectitur omne genu, ſedère, ex quo ut plurimum vanæ oriuntur confabulationes, & irreverentiæ, ſed brevi potiùs oratione contenti qui debiles ſunt,

(o) *Daniel. 7. 10.*

quò

quò brevius, eò ferventius, & humilè, externà etiam corporis compoſitione Altiſſimo obſequium exhibeant, & de Eccleſia egrediantur. Invigilent ſuper hoc ſpeciali cura Sacriſtæ, & Eccleſiarum Rectores, qui de exacta horum omnium obſervantia rationem Nobis reddere teneantur.

6 Ut iiſdem quoque irreverentiis omni modo occurramus, volumus inſuper quod in Eccleſiis, in quibus anniverſaria Sanctorum natalitia celebrantur, ſolemniaque in ipſorum honorem, muſico præſertim concentu, officia perſolvuntur, nullatenùs hoc Sacramentum deinceps exponatur. In iis verò, in quibus, permiſſione noſtra obtentà, expoſitio de more fiet, nullo modo pluries in die (ut alicubi evènit) Venerabile Sacramentum exponatur, præterquam in octava Sacratiſſimi Corporis Chriſti.

7 Non paucos, qui irrepsèrunt, abuſus in deferendà ad infirmos Sanctiſſima Euchariſtia omninò extirpare cupientes, Parochis, aliiſque tanto muneri addictis accuratam deſuper Ritualis Romani obſervantiam diſtrictè præcipimus: quocircà morem illorum deteſtantes, qui datà operà curant horis inſuetis ad ſe deferri Viaticum, parvo, vel nullo campanæ ſonitu præmiſſo, nè ullus interveniat, quo fit ut non (p) manifeſtè, & honorificè ad præſcriptum Ritualis ejuſdem, ſed planè irreverenter ad ægro-

(p) *Ritual. Rom. rubr. de commun. Infirm. §. deferri autem.*

Digitized by Google

tantium domos Sacra Euchariſtia ut plurimum deferatur; privatas (ut vocant) hujuſmodi communiones omninò interdicimus, præter quàm in caſibus urgentis infirmorum neceſſitatis, qua ſeclusà, ſolemniori, quâ poterit, pompâ eas fieri jubemus. Competenti itaque hora, hoc eſt non ſummo mane, quando multi adhuc ſomno detinentur, nec adeò plenâ die ut omnes jam è domibus ad ſua opera exierint, dato in parochiali Eccleſia campanæ ſigno, quod etiam ſub præcedentes Veſperas fiat, populus ad debitum tantæ Majeſtati obſequium perſolvendum convocetur.

8 Clerici omnes de Parochia ſuperpelliceo induti accurrere in primis teneantur, quorum munus erit immediatè Parocho aſſiſtere in iis, quæ juxta rubricas per Clericos fieri congruum eſt; quodsì plures, quàm res exigat, fuerint, reliqui vel baldachini haſtas, vel umbellam, vel intorticia propè Venerabile deferant, ut ubi plenitudo (q) Divinitatis corporaliter inhabitat, propiores ipſi ſint corpore, qui ſunt etiam miniſterio coniunctiores. Negligentium notam infrà octavam Sanctiſſimi Corporis Chriſti ſingulis annis Parochi Nobis exhibeant, iiſque neceſſariam, quam omninò requirimus de hujuſmodi frequentia, atteſtationem, quandocumque aſcendere cupiunt ad Ordines, denegent.

(q) *Ad Coloſſ. 2. 9*

9 In diſtribuendis populo intorticiis, curent Pa-

Parochi, vel ſocietatis Sanctiſſimi Sacramenti Sodales, eos quantum fas erit, ſeligere, qui habitu honeſto, exterioreque corporis cultu Sanctæ functionis decòri minus officere judicaverint; & quatuor ſaltem, præſertim in Civitate, ejuſdem Societatis Sodales ſacco induti majori qua par eſt, reverentià Sacramentum illud comitentur, ad cujus obſequium ſpeciali titulo præ cæteris tenentur, & cujus glorioſo Nomine, & inſignibus à reliquis diſtinguuntur.

10 In Civitate, & etiam in oppidis Diœcèſis, ubi commodè fieri poterit, Sacerdos Sacram deferens Euchariſtiam, non tantùm ſuperpelliceo, & Stola, ſed albo etiam Pluviali utatur, & unus ſaltem Thuriferarius præcèdat, qui aſſiduè Venerabili Sacramento incenſum offerat; cæteraque ſerventur, quæ in inſtructione ad calcem Synodi appoſita deſuper præſcribuntur. *In append.*

11 In unaquàque Eccleſia, ante cujus fores Sacram Proceſſionem tranſire contigerit, campanæ omnes pulſentur; dignum enim eſt, ac juſtum in tranſitu Sponſi ſui ad filiorum necèſſitates accurrentis dilectam Sponſam exultationis, & obſequii edere ſigna, quibus etiam magis fidelis populus ad ferventis Fidei, gratiarum actionis, & amoris actus excitetur.

12 Hæc cum ſolemniter ad infirmos Sacrum Viaticum defertur. Cum autem privatim de

Digitized by Google

noƈte poſt ſalutationis Angelicæ ſignum deferri neceſſe fuerit, repetìtis totiès ampliſſimorum PP. Prædeceſſorum noſtrorum præceptis (r) obediant aliquando irregulariter devotæ mulieres, domi ex corde tranſeuntem Dominum venerentur, turbæ aſſociantium virorum ſeſe immiſcère non audeant; nec gratum Deo obſequium præſtare putent inobediendo Paſtori. Quæ inpoſterùm non paruerint, condignis pœnis punientur.

(r) Syn. Card. de Aſte Decr. 4. de SS. Euchar. Sacram.

13 Quoniam verò ſpiritualis animarum profeƈtus ex hoc ſuperſubſtantiali diviniſſimo Cibo, quo alimur in vitam æternam maximè provenire tam Sacræ literæ, quàm quotidiana experientia nos edocent; ad hoc præcipuè Zelus miniſtrorum Altaris conari debet, ut aſſiduè ſicut (s) novellæ olivarum, Eccleſiæ filii ſint in circuitu menſæ Domini; ideò enim fidelium corda (t), ut fænum percuſſa de die in diem in via Domini areſcunt, quia oblìtus quiſque comedere panem ſuum cæleſti caret alimonia. Hinc animarum languores, hinc ægritudines, hinc denique plurimæ mortes; mori (u) enim non poteſt (ut ait Chryſol.) cui panis, cui vita Deus eſt.

(s) Pſal. 127. 3. Eccl. in Off. SS. Corp. Chriſti.

(t) Pſal. 101. 5.

(u) S. Petr. Chryſol. ſerm. 66.

14 Prudenti Parochorum (x) judicio relinquitur in quà ætate pueri, & puellæ ſufficientem rationis uſum, & ſpiritualium rerum intelligentiam aſſecuti, ad Sanƈtiſſimam Euchariſtiam ſumendam idonei reputari debeant: ca-

(x) Concil. Prov. Mediol. & Inſtr. Viſit. inſtr. tit. de Com. in act. Eccl. Mediol. S. Caroli Inſtruct. de Euchar. tit. qui ad ſacr. §. Nec vero.

caveant tamen ne eorum incurià per minimum etiam temporis ſpatium in tàm periculoſa ætate valido hujuſmodi auxilio priventur, & propriæ, qua urgentur, obligationi non ſatisfaciant, de quo Parochi ſtrictam Nobis rationem reddere debebunt.

15 Clericos omnes in ſortem Domini vocatos maximè decet cæteris frequentiùs in voce [y] exultationis reſonare epulantes in menſa Domini, ut qui ad Corpus, & Sanguinem Chriſti conficiendum per Sacros Ordines diſponuntur, prævià tantorum Myſteriorum frequentia digni [z] Sacris Altaribus fiant Miniſtri, & ad quotidianam eorumdem participationem Deo [a] ſaginati perveniant. Iis proinde, Sacroſancti Tridentini [b] Concilii, & Romanæ à Sanctiſſimo Domino Noſtro nuper celebratæ Synodi monitis inhærentes, præcipimus, ut ſaltem ſingulis quibuſque quindènis, & ſolemnioribus anni feſtivitatibus ad Sacram Synaxim devotè accedant; & authenticum de hoc teſtimonium, cum ad Superiores Ordines aſcendere cupiunt, Nobis exhibeant.

(y) *Eccl. in Off. SS. Corp. Chriſti.*

(z) *Eccl. in Oratione pro ſeipſo Sacerd.*

(a) *Tertull. lib. 8. de Bapt.*

(b) *Trid. ſeſſ. 23. de reform. c. 13. & 13. Conc. Rom. ſub SS. D. N. Bened. XIII. tit. 16. c. 5.*

16 Publici criminoſi [c] in præcedentibus Synodis recenſiti, quibus veluti canibus, panis filiorum eſt denegandus ſingulis annis per Parochos Nobis denuncientur.

(c) *Can. qui ſcelerati de Conſecr. diſt. 2. S. Carol. in Inſtr. de Euch. tit. qui ad ſacr. com. §. Nec verò. Rit. Rom. rub. de Euchar. §. Fideles. Ex Can. pro dilectione. Can. Scenicis diſt. 2. Can.*

17 Ad coercendam denique modis omnibus perditorum quorumdam intolerabilem protervium, quà propriæ ſalutis immemores, nec

præ-

Sed illud d. 45. cap. manifeſta de pœn. & rem.

præceptis flexi, nec minis perterriti in ſummum Chriſtiani nominis dedecus, adhuc in Paſchate ſuaviſſimum Angelorum panem nauſeantes, ſæpius oblatum pignus divini amoris perfido, ingratoque animo dedignanter recuſant, eos Parochi pluries privatim, deinde publicè, ſuppreſſo tamen nomine, ſecundâ poſt Paſcha die dominica, duabuſque inſequentibus, deinde per citationem (cujus formulam in Appendice dabimus) ad Eccleſiæ valvas (tacito item nomine) cum interminatione cenſurarum admonebunt, ut Eccleſiaſtico huic pareant præcepto, & eorum, qui contumaces perſtiterint, notam ad Vicarium noſtrum Generalem ante Feſtum Aſcenſionis omninò tranſmittant: quam ſi intrà præfatum tempus aut tranſmittere diſtulerint, aut integram non confecerint, pœnam ſuſpenſionis Nobis reſervatam ipſo facto incurrent; ac poſtea ex noſtro vel Vicarii noſtri mandato in tertia die Pentecoſtes eoſdem adhuc contumaces [d] anathema, interdictum ab Eccleſiæ ingreſſu, & Eccleſiaſticæ ſepulturæ privationem incurriſſe, à quibus non niſi de noſtra, vel Vicarii noſtri Generalis licentia abſolvi poterunt, publicè populo nominatim denuntiabunt, etiam per affixionem nominum ad valvas Eccleſiæ juxta formulam in Appendice pariter dandam. De quibus omnibus eamdem noſtram Curiam, tranſmiſsà talium excomunicatorum notula, ſub gra-

In append.

(d) *Concil. Later. C. omnis utriuſq. ſexus de pœn. & remiſſ. juxta Clement. dudum de ſepul. Extravag. ſuper Cathedram eod. tit.*

In append.

gravibus pœnis arbitrio noſtro infligendis certiorem reddere quotannis teneantur, ut ad Cathedralis etiam Eccleſiæ noſtræ fores, aliiſque in publicis Civitatis locis ſequenti Sanctiſſimæ Trinitatis feſto, nomina perfidorum illorum ad opprobrium exponantur, qui Chriſto renuntiantes de Chriſti Eccleſia ejici meruerunt.

CAPUT QUINTUM.

De Sacroſancto Miſſæ Sacrificio.

1 IN admirabili, quo fruimur Sanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramento (e) Miſericors, & miſerator Dominus verè mirabilium ſuorum memoriam fecit, cum non tantùm in eo eſcam dederit timentibus ſe, verùm etiam æternum Eccleſiæ ſuæ (f) viſibile reliquerit Sacrificium, quo cruentum illud ſemel in Cruce peractum repræſentatur, fauſtiſſimaque ejus memoria in finem uſque ſæculi permanet, atque illius ſalutaris virtus in remiſſionem eorum, quæ à nobis quotidie perpetrantur, criminum applicatur. In hoc dilecta Chriſti Sponſa Eccleſia (g) lætabunda exultat habens quo Deum laudet (h) ſecundum multitudinem magnitudinis ejus, quo (i) iracundiam Domini leniat, concilietque cor Patris ad filios, quo quidquid petierit impetret, quo denique retribuat (l) Domino pro omnibus, quæ ſibi retribuit. Gratum

(e) *Pſal.* 110. 4.

(f) *Trid. ſeſſ.* 22. *de Sacrif. Miſſæ cap.* 1.

(g) *Iſaiæ* 35. 2.

(h) *Pſal.* 150. 2.

(i) *Eccl.* 48. 10.

(l) *Pſal.* 115. 12.

Digitized by Google

proinde per Sacerdotes ſuos rependere geſtiens obſequium, tremenda hæc illis Myſteria ita tractanda proponit, ut inde omni irreverentiâ, negligentiâ, & avaritiæ vel ipsâ ſuſpicione procul ablegatâ, quàm maximâ puritate, ac devotionis ſtudio celebrentur.

2 Ad ea igitur, quæ jam à Prædeceſſoribus de Miſſarum celebratione ſalubriter (m) ſtatuta ſunt, hæc addere placuit, ut magis magiſque in odorem (n) ſuavitatis aſcendat Sacrificium immaculatum, quod veteris (o) olim piaculi cautionem cum in ara Crucis immolaretur, pio cruore deterſit; & ſolutâ peccatorum captivitate in admiranda nos commercia Divinitatis admittit.

(m) *Syn. Card. de Comit. tit 13 de celeb Miſſar Syn. Car. de Aſte Dec. 11 eod tit.*
(n) *Levit. 8. 28.*
(o) *Eccl in præcon. Paſch.*

3 Nemo rem Divinam facturus (p) Eccleſiam, vel Sacrarium ingredi audeat non indutus veſte talari ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto incurrendæ, quam renovare intendimus eo modo, & iiſdem reſtrictionibus, quibus in ultima claræ mem. Eminentiſſimi de Aſte (q) Synodo, ejuſque edicto in fine repetendo inflicta fuit; pœnam extendentes quoque ad eos, qui veſtem præfatam in Sacriſtia, vel in alio Eccleſiæ loco ſervantes, aut ſecum aliquo modo deferentes fraudulenter induunt propè fores ejuſdem Eccleſiæ, vel Sacriſtiæ.

(p) *Sac. Congreg. Conc. In Neap. 17 Aug 1630 in Bonon. 1. Junii 1620. Edict de mandato Innoc. XII. pro Urbe die 20. Novembris 1691. in ejus Bullar. Ad Miſſal. Rom. in Rubr. de præpar. Sacerd ac Iridët.*
(q) *Syn. Card. de Aſte Decr. XI. de celeb Miſſ. Edict. in append.*

4 Cum autem præcipuus Religionis, & Eccleſiæ cultus tremendo huic exhibitus Sacrificio in exacta ſacrarum Cæremoniarum obſervan-

tia

Digitized by Google

tia maximè eniteat, monemus omnes Sacri Altaris Miniſtros ut, quâ par eſt, diligentià in tantis myſteriis obeundis receptos, & approbatos catholicæ Eccleſiæ ritus in [r] minimis etiam, peculiari ſtudio, & diligentià ſervent, & omnia ità devotè, aptè, moderatèque præſtent, ut qui Miſſæ intererint, ad fervorem, ac pietatem excitentur, & Sacræ functionis virtutem, tremendique Sacrificii Sanctitatem agnoſcant, & venerentur; indecens enim, & ſcandaloſum omninò eſt, eos, qui Chriſtum Dominum in ara Crucis repræſentant, & offerunt, abſque ullo devotionis ſenſu Dominicæ Paſſionis myſteria tractare. Caveant idcircò ne brevitatis ſtudio cum aliqua verborum, & rituum vel prætermiſſione, vel mutilatione nimiùm properent, ſicut econtrà ne importunà prolixitate populum tædio afficiant; ſed ità Sacræ actionis gravitatem moderentur ut eam nec ultrà ſemihoram protrahant, nec anguſtius quadrante cum dimidio contrahant.

(r) Concil. Rom. ſub SS. D.N. tit. 15. c. 1.

5 Exteri Sacerdotes, qui ultra octiduum in noſtra Diœceſi commorari cupiunt, rem Divinam facere non præſùmant, niſi [s] præter teſtimoniales ſuorum Ordinariorum literas, quas exhibere tenentur, ſacrarum Cæremoniarum peritiam teſtimonio earumdem Magiſtri, vel alterius à Nobis deputandi probaverint: diœceſani verò Presbyteri maximè à longo tempore celebrantes, ſæpius Miſſalis relegant rubricas,

(s) Can. Primatus. Cā Extraneo diſ. 71 cap. Tuę de Clericis peregrin. Trid. ſeſſ. 22. Dec. de obſervo. et evit. in celebr. Miſſar. 1. Con. Prov. Mediol. S. Caroli p. 2. hoc tit Syn Card. de Com tit. de celeb. Miſſ. c. 2. & 3.

 in

in quibus facilè quid in ſe ipſis reformare oporteat agnoſcent, & pœnas effugient, quibus errantes irremiſſibiliter punientur, etiam per ſuſpenſionem à Divinis, donec corrigantur.

6 Quamvis ità ſemper vivere & operari debeant Sacri Altaris Miniſtri, ut omnis eorum actus ſit præparatio ad Miſſam, habeant (t) tamen determinatum, & non tàm breve temporis ſpatium, quo in opportuno Sacrarii receſſu ad cor redeuntes, ſublimia, quæ tractare debent myſteria recolant; æternum (u) in hoc imitantes Sacerdotem ſecundùm ordinem Melchiſedech, qui primum, quod & ipſi offerunt, Sacrificium oblaturus, factus (x) in agonìa prolixiùs oravit; idem omninò ſervent poſt eadem divina ſumpta myſteria, quæ in Sacris litteris ſemper cum gratiarum actione conjuncta leguntur; Chriſtus enim Dominus (y) gratias agens fregit (z) accipiens Calicem gratias egit (a) cumque gratias egiſſet diſtribuit, ut nos doceret quàm neceſſe ſit, ſumentes hunc panem in gratiarum ſemper actione manère. Exemplo in hoc ſint filii (b) lucis filiis hujus Sæculi, qui non raró exactiores, gravi cum ſcandalo Sacerdotes de foro ad Altare, de Altari ad ſæcularia protinus negotia redìre demirantur.

7 Sacris induti (c) veſtibus ne Sacriſtiam circumeant, nève confabulentur, ſed à conſuetudine ſenſuum animum abducentes, ſilentium, (d) in quo eſt cultus juſtitiæ, ſervent, & in me-

(t) *Conc. Prov. Med. S. Caroli p. 2 hoc tit.*

(u) *Pſal. 109. 5.*

(x) *Lucæ 22. 43.*

(y) *Marc. 9. 9.*

(z) *Math. 26. 27.*

(a) *Joan. 6. 11.*

(b) *Lucæ 16. 8.*

(c) *Concil. Med. prim. part. 2. tit. de offic. Sacriſt.*

(d) *Iſaiæ 32. 17.*

meditatione [c] eorum quo ferventiùs Sacrificium peragatur, exardeſcat ignis.

(c) *Pſal. 38. 4.*

8 Quæ hactenus præſcripta ſunt, diligenter ſervari curent Sacriſtæ, & Eccleſiarum Rectores, qui Nobis rationem reddere teneantur, ſi ab ipſis monitos, inobedientes ad Nos referre neglexerint.

9 In Dœceſis oppidis, in quibus plures habentur Miſſæ, ità eas diſtribui volumus, ut non eodem tempore duæ celebrentur, ſed ad populi commodum altera alteri opportuno tempore ſuccedat; Solemnis autem, quæ cum cantu alicubi celebrari ſolet, ultima ſit, certam ſemper habens horam in meridie, ne devoti fideles, & Clerici, qui aſſiſtere debent, temporum varietate decepti, ut accidere ſolet, à religioſo inſtituto Parochorum culpà fraudentur.

10 In qualibet Sacriſtia affixa [f] pendeat tabella, in qua ordinatè deſcripta ſint onera Miſſarum aliorumque Divinorum officiorum, ad quæ ipſa Eccleſia, vel determinati Sacerdotes, aut Beneficiati tenentur; ſicuti pro quibus, qua die, & in quo Altari Miſſæ celebrandæ ſint; nomina quoque Fundatorum, vel Beneficiatorum, & rogitus notariorum, & officia, ubi reperiuntur, deſcribantur ad normam tabellæ, quam nuper in Sacrario Cathedralis noſtræ apponi juſſimus.

(f) *Ex liter. Sac. Cong. Concil. de mandato Alex. VII. die 15. Decemb. 1663. Mediol. 1. de offic. Sacriſt. cap. unico.*

11 Adſit etiam [g] liber quotidiano uſui paratus, in quo ſinguli Sacerdotes, qui in eadem Ec-

(g) *Liter præcit.*

Digitized by Google

Eccleſia Sacrificium obtulerint, Miſſam à ſe tali die celebratam adnotent, & cujus oneris ratione celebraverint propriæ manus ſubſcriptione teſtentur; qui verò ſe Miſſas debitas celebraſſe, in hoc libro non probaverit (alibi enim dictarum, & etiam ſcriptarum ratio habenda non eſt) ad earumdem tanquam omiſſarum celebrationem compelletur, & pœnis inſuper arbitrio noſtro mulctabitur. Præfatum verò librum, unà cum indiculo Miſſarum non celebratarum, cujuſcumque Eccleſiæ Præpoſitus reviſoribus à Nobis deputatis quotannis exhibeat ſub pœnis pariter arbitrio noſtro. Eos interim, qui Miſſarum oneribus non ſatisfaciunt, Parochus, & quilibet alius Eccleſiæ, ſeu Cappellæ Adminiſtrator Curiæ noſtræ, quoties opus fuerit, denuntiet, ut opportunis juris, & facti remediis ad onera implenda compellantur.

12 Ut autem omnis avaritiæ, & turpis lucri ſuſpicio à tantis myſteriis procul abeat, diligenter perlegi, & obſervari mandamus Decreta ſæpius ſuper Miſſarum celebratione à Sacra Congregatione Concilii emanata, & à Sanctæ mem. Innocentio XII. confirmata, quæ ad calcem Synodi juncta reperientur. *In append.*

13 Eccleſiarum Miniſtris injungimus ut Sacras Veſtes (h), & ornamenta, nec lacera, nec attrita, vel corroſa, aut commaculata, ſed modeſta, & ſervatis pro temporum, & Miſſarum va-

(h) *Cap. relinqui de cuſtod. Euch.*

va-

varietate, coloribus, apponant, curentque ut amictus, albæ, mappæ, pallæ, Corporalia, Purificatoria, cum cruce in medio, & juſtæ magnitudinis, mundiſſima ſint; atque in primis ut Calices, & Patenæ ſint integra, nitida, & inaurata; cętera denique ſuper his aliàs, pręſertim in ſacra viſitatione ordinata, ſervent, ne quid exteriùs appareat, quod aut populi devotionem offendat, aut Sacerdotum, & miniſtrorum incuriam coarguat. Arceant etiam à Miſſæ ſervitio adoleſcentes, & juvenes, qui clericali officio funguntur, ſi laceris, aut ſordidis indumentis ſint cooperti, etſi muſſitanter, aut dimidiatè, non verò intelligibiliter, & integrè reſpondeant; quod nè inpoſterum eveniat, Parochis, & Sacerdotibus, qui Chriſtianam Doctrinam edocent, nec non Ludimagiſtris ſtrictiſſimè præcipimus, ut omnes adoleſcentes, & juvenes de modo inſerviendi Miſſæ diligentiſſimâ curâ erudiant, eorumque errores, quoties compererint, paternà ſeveritate reprehendant, quouſque eos emendatos viderint.

14 Hortamur denique, & Nobiſcum frequenter Parochi hortentur fideles omnes, ut laudabilem, tot, tantiſque probatam prodigiis piorum conſuetudinem æmulantes, quotidie tremendo huic Sacrificio intereſſe nitantur, & diurna ipſorum opera à tam ſublimi exercitio auſpicentur; eoque Religionis ſenſu Sacris adſtent

Digitized by Google

ſtent Altaribus, incruentum cum Presbytero Sacrificium offerentes, quo Cruci olim adſtitiſſent, ſi fide plena Chriſtum Dominum, cruentum idem offerentem videre, & obſequi meruiſſent.

CAPUT SEXTUM.

De Sacramento Pœnitentiæ.

1 QUONIAM pauci inter homines ſunt, qui candidam (i) in Baptiſmo receptam innocentię ſtolam, immaculatam perferre ſtudeant ante Tribunal Chriſti, judicium (l) cuſtodientes, & facientes juſtitiam in omni tempore; quinimò ingrati plures vix è lavacro regenerationis emerſi, cum primùm rationis oculos aperiunt, queis inter (m) bonum, & malum diſcernere valeant, animam tantis muneribus exornatam veteris hominis fæditate commaculent; dives (n) in miſericordia Dominus, ne tanta (o) iniquitas ſit in ruinam, miſericordiam (p) nos conſequi voluit, & gratiam invenire in auxilio opportuno; aliud ſiquidem in Sacramento Pœnitentię tribunal inſtituit, quod maculoſas veſtes non horreat, ſed purificet; aliud lavacrum, in quo ſi fuerint (q) peccata noſtra ut coccinum, quaſi nix dealbabuntur, etſi fuerint rubra quaſi vermiculus, velut lana alba erunt.

(i) *Rit. Rom. de Sacr. Bapt.*

(l) *Pſal. 105. 3.*

(m) *3. Reg. 3. 9.*

(n) *Ad Epheſ. 2. 4.*

(o) *Ezech. 18. 30.*

(p) *Ad Hebr. 4. 16.*

(q) *Iſaiæ 1. 18.*

2 Cum

Digitized by Google

2 Cum verò lavacrum hujuſmodi laborioſus (r) quidam Baptiſmus à SS. PP. appelletur, noſcant fideles omnes, & præcipuè Sacri Pœnitentiæ Miniſtri quantâ ſollicitudine in tanti Sacramenti ſeu receptione, ſeu adminiſtratione adlaborare eos oporteat, ut fructum (s) habeant, in Sanctificationem, finem verò vitam æternam.

3 Quæ ad Pœnitentes pertinent, aliqua ſuperius in cap. de Doctrina (t) Chriſtiana innuimus: plura Parochorum zelo relinquimus, ut juxtà Prophetæ monitum, planctum (u) populos doceant, & ad magnos (x) illos fletus, ac labores inſtruant, ſine quibus in hoc Sacramento ex inconcuſſa Trid. Doctrina (divina id exigente Juſtitia) vitę novitatem, & integram peccatorum remiſſionem conſequi non poſſumus.

4 Quia verò à recta hujus Sacramenti adminiſtratione uberem, quem optamus, fructum maximè pendère compertum eſt, ad Confeſſarios præcipuè legum noſtrarum ſollicitudo convertitur; nec pauca deſuper decernenda occurrerent, niſi jam à cl. mem. Prædeceſſoribus noſtris Eminentiſſimis de Comitibus, & de Aſte abundè ſatis (y) proviſum eſſet per ſaluberrima eorum Synodalia Decreta, quę attentè, & frequenter à Confeſſariis relegi omninò mandamus, ut neglecta eorumdem obſervantia refloreat, & inobſervantes à pœnis, ad quas omninò procedemus, ſe ſubtrahant.

(r) *Trid. ſeſſ. 14. de Pœnit. c. 2.*

(s) *Ad Rom. 6. 22.*

(t) *Prima parte cap. 1.*

(u) *Jerem. 9. 20.*

(x) *Trid. ſeſſ. 14. de Pœnit. c. 2.*

(y) *Sub hoc tit.*

Digitized by Google

5 Congruum ſanè, & tutiſſimum eſſet vocatos tantùm ab Epiſcopo, quos ipſe in Domino idoneos judicaverit, Sacerdotes, ad difficillimum hoc munus aſſúmi; quocumque tamen modo eligantur, caveant ne inanibus adducti motivis formidabile hoc ſubeant onus, non gloriâ [z] vana elati, non lucri cupiditate, aut curioſitatis ſtudio allecti, non ut meritum ad majora coram hominibus augeant, ſed ſolum Deum præ oculis habentes ad majorem ipſius gloriam, animarumque profectum pii, graves, & humiles ad tantum munus accedant; aſſiduis precibus Patrem [a] luminum deprecantes, ut mittat in eos ſpiritum [b] ſcientiæ, & pietatis, ſpiritum conſilii, & fortitudinis, quo ducti ita fidelium conſulant infirmitatibus, ut in tremendo judicio tanquam alienorum criminum rei, & participes non condemnentur.

(z) *Can. qui vult 1. de Pœnit. diſ. 6.*

(a) *Jacob. 1. 17.*

(b) *Iſaiæ 11. 2.*

6 Reverentia huic Sacramento debita exigit, ut in [c] Eccleſia, vel in Sacro aliquo loco idem ſemper miniſtretur, niſi Charitas, zelus, & prudentia Confeſſarii aliter quandoque fieri ſuadeat.

(c) *Syn. Card. de Comit. hoc tit. c. 5.*

7 Confeſſiones [d] mulierum, & adoleſcentium, qui decimum quintum ætatis annum non expleverint, ad crates ſedis confeſſionalis excipiantur.

8 In excipiendis domi mulierum ægrotantium confeſſionibus, [e] cubiculi oſtium apertum ſit, ità ut conſpici quidem, non autem au-

(d) *Conc. Med. 1. p. 2. tit. quæ pertin. ad ſacr. Pœnit. Sac. Cong. Ep. & Regul. 21. Junii 1620. Syn. Car. de Aſte Decr. 5. de ſacr. Pœnit. Sac. Cong. Inquiſit. 4. Decembris 1694. Sac. Cong. Ep. in Collen. 1693.*

audiri poſſint, aliter Confeſſarii gravi pęna arbitrio noſtro punientur.

9 Cum ex Decreto SS. D. N. in Romana Synodo (f) Medicis, & Chirurgis injunctum ſit, ut infirmos derelinquant, qui Confeſſarii ſcriptâ atteſtatione non edocent ſe primis infirmitatis diebus eſſe confeſſos; ad præſcriptum Sanctitatis ſuæ, Confeſſarii ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto incurrendæ, & Nobis reſervatæ, confeſſionis ab infirmo exceptæ, vel dilationis ad certum, determinatumque diem ipſi datæ, in ſcriptis teſtatum facere debent ipſa die auditæ confeſſionis, vel dilationis conceſſæ.

10 Judices cum ſint, & medici animarum, quantâ eos doctrina pollére oporteat, nemo eſt qui non videat; ignorantia ſiquidem, quæ alios ut plurimùm excùſat à crimine, criminoſiores illos, & inexcuſabiles reddit. Maximum proinde, quod in approbandis Confeſſariis exquirèmus teſtimonium erit de laudabiliter emenſo in theologicis ſtudiis, ſaltem per triennium, curriculo; cum ſæpe compertum ſit indoctos etiam, qui nec ſcholas ſalutarunt, quique in ſede confeſſionali ad animarum deinde perniciem, propriam detegunt ignorantiam, prævio, cui ſe de more ſubjecèrunt examini prę naturali quadam promptitudine ingenii, caſu ſatisfeciſſe.

11 Decreto à Sanctiſſimo Domino Noſtro nuper in Romano Concilio emanato, quâ par

I 2 eſt,

(c) *Sac.Cong.Ep. 21.Junii 1620. S. Cong. Viſit. pro Urbe de mandato Urbani VIII. ſub die 10. Julii 1625.Conſt.Clem. X.Supernæ. Sac. Cong. Ep. 13. Septembris 1641.*

(f) *In append. Cōc. Rom. ſub SS. D.N. Bened.XIII. ad tit. 22. c. 1. & in noſtra append.*

Digitized by Google

eſt, reverentiâ obſequentes „ Sacræ [g] au-
„ diendæ Confeſſionis munus Regularibus Sa-
„ cerdotibus, quamvis ad illud ipſum & peri-
„ tia, & ſcientia idonei appareant, non com-
„ mittemus, niſi à Monaſterii Præfecto literis
„ teſtatum fiat, eos in probatiſſimis etiam pro
„ Confeſſariis datis S. Caroli monitis inſtru-
„ ctos eſſe, & vitæ diſciplinâ, ac moribus
„ probatos haberi, & dignos, quibus id mu-
„ nus laudabiliter imponatur. In hoc autem
„ teſtimonii genere Sanctitas Sua jubet, ut
„ Superior ipſe animadvertat ne quid teſtifi-
„ cando admittat, quod religioſæ conſcientiæ
„ ſuæ fraudi ſit, aut labem inferat.

12 Nullus præſertim alienæ Diœcèſis Presbyter ad excipiendas Confeſſiones admittètur, niſi priùs de exemplari morum honeſtate per diuturnam, eamque inculpabilem in noſtra Diœceſi converſationem ſpecimen præbuerit, & ſpeciales proprii Epiſcopi de idoneitate literas oſtenderit.

13 In peccati gravitate objurganda, & ſalutaribus pœnitentiis iniungendis zelum [h] ęquè, ac prudentiam præſtent Confeſſarii, ut in virga ferrea nullius pravitati blandiantur, atque in ſpiritu lenitatis omnibus [i] omnia facti omnes Chriſto lucrifaciant. Induant [k] viſcera miſericordiæ Dei, & Salvatoris noſtri, qui [l] ſuavis, & mitis, & multùm [m] miſericors [n] peccantibus filiis dabat oſcula non flagella;
ab

(g) *Concil. Roman. tit. 32. c. 2.*

(h) *S. Greg. p. 2. Paſtoral. curæ c. 9. & p. 3. admon. 18. S. Aug. ſer. 45. de temp. S. Carol. in inſtruct. Conf. 8.*
(i) *1. Cor. 9. 22.*
(k) *Ad Coloſſ. 3. 12.*
(l) *Pſal. 85. 5.*
(m) *Pſal. 102. 8.*
(n) *S. Petr. Chryſol. ſerm. 2.*

Digitized by Google

ab importunæ feſtinationis, & impatientiæ ſignis ſe abſtineant, (o) rudes inſtruant, vacillantes confirment, repentes inflamment, timidos ad ſpem erigant, non terrendo, nec ſcrupulos injiciendo; maximè verò cauti ſint in interrogandis adoleſcentibus, & puellis in materia impuritatis, nè peccata edoceant, dum ea ſtudent arcère.

(o) Can. alligant 26. q. 6.

14 Caveant Confeſſarii ſuis pęnitentibus prohibère, nè alios confeſſarios adeant, ſuæquæ directionis methodum iis quomodolibet patefaciant; minuſque affectent numeroſas pœnitentes circà ſuas confeſſionales ſedes, prolixè cum eis alloquendo; ac omninò abſtineant earum domos frequentare, etiam prætextu ſpiritualis inſtructionis; quique contra has prohibitiones aliquid attentare præſumpſerint, pœnis omnibus tùm juris, tùm arbitrii noſtri, pro rei qualitate, omnimodè ſubjacebunt.

15 Cum in adminiſtrando hoc Sacramento (p) miniſtri oſtendere ſe debeant ab omni noxię cupiditatis labe alienos, Nos proinde ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto incurrendæ, ſtrictè præcipimus quod nullus ex Confeſſariis quidquam petat, vel exigat causà, & intuitu Confeſſionis, nec ſatisfactionis quidem Sacramentalis nomine, aut pro Miſſis celebrandis. Monemus etiam ut à ſpontè dantibus recipere ſe abſtineant, nec aliquid injungant, quod in ſuum, vel ſuæ Eccleſiæ commodum vertatur,

(p) 3. Conc. Prov. Mediol. S. Carol. hoc tit. Id. S. Carolus in inſtruct. Conf. S. Congreg. Cōcil. 1. Februar. 1593.

quin

quin etiam tempore Confeſſionis oblatas pro Miſſis celebrandis eleemoſynas ad Sacriſtam remittant, ne juſtum præbeant Nobis motivum eos inhabilitandi ad Confeſſiones audiendas. Quoad reſtitutiones autem à pœnitentibus faciendas adamuſſim ſervetur (q) Decretum Synodale Eminentiſſimi de Comitibus.

16 In legatis verò piis, & quæ ab ægrotantibus ad Parochorum, vel Confeſſariorum aures fieri quandoque ſolent, ex præcitati Ro-
„ mani Conc. decreto, ut (r) fraudes, liteſque
„ vitentur, tres vel duo Teſtes adhibeantur,
„ coram quibus Teſtator ſe quædam ad pias
„ cauſas eroganda, ſuo prout Parocho, ſeu
„ Confeſſario injunxit, ità velle declaret; ta-
„ lique declaratione pia Teſtatoris diſpoſitio
„ ſuum ſemper ſortietur effectum.

17 Meminerint Confeſſarii pœnarum inflictarum à (s) Conſtit. Greg. XV. contra Sacerdotes ſollicitantes in confeſſione, & quod perſona ſollicitata in Confeſſione non eſt abſolvenda, niſi ſollicitantem denuntiaverit; Noſque antiquorum Canonum veſtigiis inhęrentes Confeſſarios etiam Parochos ad impudica perſonam quamcumque ex ſibi confitentibus, ſive in actu confeſſionis, ſive ante, ſive poſt immediatè, in terminis præfatæ Gregorianæ Conſtitutionis ſollicitaverint, ex nunc pęnâ excommunicationis latæ ſententiæ, nobis reſervatæ, innodatos eſſe decernimus.

(q) *Syn. Card. de Com. hoc tit. c. 6.*

(r) *Concil. Rom. cit. tit. 20. c. 1.*

(s) *Gregor. XV. Conſt. 34. Univerſi, & juxta liter. Sac. Inquiſ. 3. Oct. 1626. Cap. Omnes cum 2. ſeq. 30. q. 1.*

18 Quo-

18 Quoniam ad continendam Chriſtiani populi diſciplinam Sanctiſſimis Patribus noſtris perantiquum Eccleſiæ morem, tanquam divinæ conſonum auctoritati proſequentibus viſum fuit, ut (t) atrociora quædam, & quæ ſpecialem exigunt coercitionem, graviora delicta non à quibuſvis, ſed à ſummis dumtaxat Sacerdotibus abſolvantur, Nos criminum enormitati ſalubriùs occurrentes ex ea, qua reliquis Presbyteris auctoritate prçſtamus, infraſcriptos caſus ità noſtro judicio reſervamus, ut nemini ex Sæcularibus, ſive Regularibus Confeſſariis tàm approbatis, quàm approbandis, etiam Parochis ab iis quemquam abſolvere liceat abſque noſtra, vel noſtri Generalis Vicarii licentia excepto mortis articulo juxta Sacrorum Canonum diſpoſitionem.

(t) *Trid. ſeſſ. 14. cap. 7. & Can. 11. Extr. ſuper Cathedr. de ſepult. Extr. de privil. C. inter cunctos.*

Caſus autem, quos in noſtra Diœceſi reſervamus, ſequentes ſunt.

1 ADORATIO, vel invocatio dçmonis expreſſa; abuſus Sacramentorum, vel Sacramentalium, aut rerum Sacrarum ad magicas artes, veneficia, & ſuperſtitiones.

Synod. Card. de Aſte Decr. 5. de Sacram. Pçnit. ab adnot. n. 1. uſque ad 10. ſeq.

2 Inceſtus in primo, vel ſecundo conſanguinitatis, aut in primo affinitatis gradu.

3 Fornicatio, vel quicumque alius actus impudicus cum judæis, & infidelibus.

Digitized by Google

4 Sodomia quoad utrumque ſexum poſt annum pubertatis.

5 Beſtialitas.

6 Matres, & Nutrices detinentes ſecum in lecto infantes, qui annum non expleverint, ſine repagulo, vel alio inſtrumento tollente periculum ſuffocationis.

7 Procurantes abortum etiam non animatum.

8 Homicidium voluntarium.

9 Notarii, & alii, qui rogati fuerint, non revelantes legata pia ad pias cauſas Nobis, vel Vicario noſtro Generali intra menſem à die publicationis inſtrumenti, teſtamenti, & ultimæ voluntatis.

10 In ſocio criminis utriuſque ſexus, peccatum quodvis in materia furti, in homicidio, ac in rè venerea, quovis actu externo, colloquio, aut opere perpetratum.

11 Conjuges ſecum retinentes in proprio lecto, quin etiam in proprio, ubi recubant, cubiculo, ſi aliud ſuppetat, pueros, & puellas quintum ætatis annum excedentes; eos inſuper conjuges, qui unum tantum domi habentes cubiculum, in eodem, dum ſimiliter recubant, aliquo repagulo proprium cubile à talium puerorum, & puellarum lecto, & aſpectu non obtegunt.

12 Diverſi ſexus conſanguinei, & affines, qui duodecimo ætatis anno utrinque completo in-

inſimul in eodem lecto dormiunt.

19 Quod ſi piorum eleemoſynis, maximè poſt noſtram hujuſmodi reſervationem, ut ęgeſtati ſimul, & pudóri conſultum ſit, conjuges, & conſanguinei, ſeu affines præfati de neceſſario ad id exequendum lecto provideantur, caveant ne illum deinde quocumque ex fine vendant, ſeu aliquo alio modo alienent, aut diſtrahant (quod ſępe ſępius non ſine maximo animi noſtri dolore eos audacter feciſſe comperimus) quicumque enim hoc agere præſumpſerint ſeveriſſimè à Nobis punientur.

20 Ut autem modis omnibus tantæ audaciæ occurramus, notam ferream providebimus, qua ignìta omnes hujuſmodi lecti à Nobis, vel aliis ad hunc ſolùm finem ſuppeditati, profundè, & indelebiliter compungentur; anaclynteria autem per rubri coloris ſignum longè latèque pingentur. Quicumque verò taliter obſignatum lectum emere præſumpſerit, non ſolùm emptum reſtituet, ſed duos alios in pœnam addet, pauperibus protinùs diſtribuendos. Nota autem præfata in Civitate quidem Parocho Divæ Mariæ Miſericordiæ, in Diœceſi Vicariis foraneis à Nobis eligendis cuſtodienda tradetur, ipſiſque incumbet tales lectos præſcripto modo obſignare.

21 Confeſſarii itaque tàm Sæculares, quàm Regulares tabellam (u) caſuum in Bulla Cœnæ Domini, atque horum, quos Nobis reſerva-

(u) *Syn. Card. de Com, hoc tit. c. 1.*

K vi-

vimus Sedibus confeſſionalibus affixam ſemper retineant, & quoties facultatem abſolvendi à Nobis obtinuerint, additâ peculiari inſtructione de pœnitentia delinquenti injungenda, prout in aliquo caſu expedire Nobis videbitur, eam ſervare omninò teneantur.

22 Facultates interim omnes abſolvendi à caſibus reſervatis per Prædeceſſores noſtros, vel per nos, ſeu noſtros Vicarios quomodolibet ad tempus nondum elapſum, vel ad noſtrum beneplacitum conceſſas, tenóre præſentium revocamus, & nullius roboris eſſe volumus, uſque dum novam à Nobis earumdem confirmationem pro libitu noſtro concedendam obtinuerint.

CAPUT SEPTIMUM.

De Sacramento Extremæ Unctionis.

(x) *Job. 7. 1.*

1 MILITIA (x) cum ſit vita hominis ſuper terram, ob quam idcircò tantis divinæ Miſericordiæ Sacramentis armamur ad pugnam; atrocior tamen cum callido, ſurenteque hoſte conflictus mors eſt; in ea etenim fractis viribus, anguſtiis undique preſſi, in cogitatione (y) peccatorum timidi, quò fortiùs, eò periculoſiùs impetimur; tunc maximè cum impius aggreſſor inimicitias veteres (z) implens, omnes ſuæ verſutiæ nervos inten-

(y) *Sapientiæ 4. 20.*

(z) *Ezech. 25. 15.*

ten-

tendit, ut vincat. Deo autem gratias, qui per ſanctificatum (a) unctionis oleum, & ſuam piiſſimam miſericordiam dedit (b) nobis victoriam in Chriſto Jeſu. Uncti ſiquidem unctione Miſericordiæ ſuæ à peccatorum reliquiis expiati, in (c) robore fortitudinis ejus, & in (d) ſpe gloriæ filiorum Dei jacentem animum erigentes, alacres in agónem deſcendimus, & corporis exuvias cum gaudio deponentes, juſtitiæ (e) coronam bonum certamen certantibus repoſitam, ſecuri conſequimur.

2 Quò uberiùs autem tantam hujus Sacramenti virtutem fideles populi aſſequantur, ſalutares (f) ejuſdem fructus, & neceſſarias ſuſcipientium diſpoſitiones infirmis explicent Parochi, antequam ad Sacram deveniant actionem, ut præmiſsâ etiam, ſi vires ſuppetant, peccatorum confeſſione, quàm digniſſimè illud ſuſcipiant.

3 Curent etiam Parochi ut hoc Sacramentum opportunè (g) recipiatur ab infirmis, cum ſcilicet mens, & ratio viget; ac ideò cum morbum agnoverint ad periculum ingraveſcere illos hortentur, ut vehementer optent hoc Sacramento muníri; maximè cum illud non animæ ſolùm, ſed etiam corporis interdùm, ut fuerit expediens, conferat ad ſalutem.

4 Quemadmodum nec ab infirmis differri, nec à Parochis retardari monuimus, ſic prorſus ab Eccleſiaſtica regula cernimus alienum,

(a) *Ritual. Rom. in Ord. Min. extr. unct.*
(b) *1. Cor. 15. 57.*
(c) *Daniel. 4. 27.*
(d) *Ad Rom. 5. 2.*
(e) *2. ad Timot. 4. 7. 8.*
(f) *Rit. Rom. in Ord. Min. extr. unct. Catech. Rom. p. 2. c. 6. n. 12. Inn. I. Ep. 1. ad Decentium c. 8. relatus in Can. illud ſuperfluum diſ. 95.*
(g) *1. Conc. Med. S. Carol. p. 2. hoc tit. Eugen IV. in Concil. Flor. & ejuſdem Conſt. 19 Exultate. Synod. Card. de Comit. hoc tit. cap. 2.*

Digitized by Google

ſi Sacramentum Unctionis, [h] nullo quandoque urgente periculo conferatur, quod juxta Florentini Concilii Sanctionem non niſi infirmo, de cujus morte timetur, dari debet: quapropter caveant Parochi nè ad declinandum reiteratum incommodum, ſemper poſt Sacroſanctum Viaticum extremam Unctionem immediatè conferant, ſed tempus opportunum ſuperiùs preſcriptum præſtolari debent.

5 Cætera, quæ in Rituali [i] Romano, & præcedentibus [k] Synodis præſcribuntur tàm pro recta hujus Sacramenti adminiſtratione, quam pro decenti Sacri Olei cuſtodia & annua ejuſdem renovatione, exactè ſerventur.

6 Nullatenus tamen exiſtimet Parochus, hoc Sacramento adminiſtrato, ſuo ſatisfactum officio; ideòque caveat ne infirmum [l] deſerat, ſed ei in extremo laboranti præſtò ſit, ut in tanti periculi pleno agóne luctantis Spiritum, virtutemque confirmet; eumdem ſuaviſſimâ Paſſionis Dominicæ recordatione, reiteratis contritionis actibus, piiſque precibus, ac orationibus, quas jaculatorias vocant, affectus amoris Dei, ferventis fidei, ſanctæque ſpei excitantibus, tempeſtivè adjuvando, ad vitæ exitum uſque proſequatur. Neque ullo modo, niſi idoneo Sacerdote, aut pio Clerico in Sacris, ſi fieri poteſt, conſtituto, qui ſuas vices obire noverint, ab infirmo diſcedat; intolerabile enim eſt, & monſtruoſum, animarum Paſto-

res,

(h) *Eugen. IV. in Conc. Flor. ubi ſupra Trid. ſeſſ. 14. de hoc Sacram. c. 1. & ſeq. Syn. Car. de Com. loco cit. D. Thom. in 4. diſ. 23. qu. 2. ar. 2. Inn. I. ubi ſupra cap. 2. Conc. Med. §. hoc tit. S. Carol. in Inſtruct. de extrem. Unct.*

(i) *Rit. Rom. in Ord. min. Extr. unct.*

(k) *Syn. Card. de Com. & de Aſte hoc tit.*

(l) *Rit. Rom. in tit. de Viſit. & cura infirmor. & in ord. commend. Animæ. Syn. Card. de Aſte Decr. 7. de Sacram. extr. Unction. S. Cong. Ep. 14. Sept. 1579 in Trepien.*

Digitized by Google

res, qui ad Chriſti Domini exemplum uſque ad ſanguinem oves ſibi creditas ab inſidiantium furore tuèri debent, eas in momento, à quo pendet æternitas, furentium luporum rabie dilaniandas incurioſè deſerere; & ſine ullo Religionis, ac pietatis ſenſu, periclitantis animæ lucrum, incommodum putare. Abſit hoc à Diœceſis noſtræ Paſtoribus, quos in tanti ponderis negotio ſi negligentes deprehendi contigerit, gravibus arbitrio noſtro pœnis mulctabimus; nec indignationem noſtram effugient reliqui Paræciarum Sacerdotes, & Clerici, qui ad tantæ charitatis officium in proprii Parochi adjutorium vocati, dedignantur accurrere; non enim Clerici, imò nec Chriſtiani nomen meretur, qui Fratrem (m) ſuum taliter neceſſe habere viderit, & viſcera ſua clauſerit ab eo.

(m) 1. *Joan.* 3.17.

CAPUT OCTAVUM.

De Sacramento Ordinis.

1 QUÆ hactenùs de Divinorum myſteriorum diſpenſatione decrevimus, privatam ovium noſtrarum incolumitatem reſpiciunt; ut publico autem totius Diœceſis bono proſpiciamus, de Ordinis Sacramento à provida cujus diſtributione univerſa populi fœlicitas pendet, nonnulla ſtatuere neceſſe eſt; ſicut enim lux in mundo,

Digitized by Google

do, ità Clericus in populo; ut idem omninò ſit, dignum Sacris Altaribus offerre Miniſtrum, & indoctis (n) doctorem præbére, pauperibus conſolatorem, opprèſſis ſolatium, orphanis Patrem, omnibus denique debitorem. Quantâ idcircò vigilantia opus eſt, ne citò Nobis manus (o) imponentibus Sponſa noſtra, quæ in provectione filiorum ad Ordines ſpem (p) habet in illis magnificari in abundantia, fraudetur à deſiderio ſuo, & eos ſibi nocentes defleat in Templo, quos innocuos patiebatur in foro.

2 Quoniam verò omne malum ab iis, qui vel ſęcularis (q) judicii declinandi fraude, vel lucri cupiditate, aut aliis ſæcularibus commodis inhiantes, nullo Cœleſtis gratiæ inſtinctu, ſupernâque vocatione adducti, ut diſperdant, (r) aut rapiant, non per oſtium intrare, ſed aliunde in Eccleſiam irrumpere moliuntur, id impenſiùs ſollicitudo noſtra curare debet, ut nemo aſſúmat (s) ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo tanquam Aaron.

3 Nullus igitur clericali militiæ adſcribi præſúmat, niſi per diuturnum laudabilis vitæ experimentum dignus probatus fuerit, qui ad Eccleſiaſticos gradus evehatur; imò ut publicum etiam deſuper teſtimonium habeamus, (t) Synodalia Prædeceſſorum noſtrorum decreta innovantes, volumus quod ad primam etiam Tonſuram promovendi, eo modo, quo pro initiandis ad Sacros Ordines practicari ſolet, ter in-

(n) *Petr. Bleſ. de Inſt. Ep. c. 2.*

(o) *1. Ad Timot. 5. 22.*

(p) *2. Corint. 10. 15.*

(q) *Cap. final. de temp. Ord. in 6. Trid. ſeſſ. 23. de ref. c. 4.*

(r) *Joan. 10. 10.*

Ibidem 1.

(s) *Ad Hebr. 5. 4.*

(t) *Syn. Card. de Com. hoc tit. c. 1. Syn. Emi de Aſte Decr. 6. de Sacr. Ord.*

inter Miſſarum Solemnia Feſtis diebus per proprios Parochos publicentur, quo certiores de eorumdem habilitate, bonis moribus, rectoque Deo tantùm inſerviendi propoſito reddamur.

4 Cum Sacro deinde Clericorum cætui adſcripti fuerint, ſciant ſe cum reliquis de Clero ex Synodali cl. mem. Eminentiſſimi de Comitibus (u) ſanctione, ſi in Civitate ſint, Cathedralis Eccleſiæ, ſi in Diœceſi, Parochialis cujuſque ſervitio eſſe mancipatos; ne autem hujuſmodi, toties à Sacris Canonibus, & Sacroſancto Trid. Conc. (x) prçcepta inſtitutio, mera credatur cæremonia, placet hic verba referre, quibus in noviſſima Romana Synodo Sanctiſſimus Dominus Noſter omnimodam ejuſdem obſervantiam inculcat (y) „ Clericali in- „ ſuper Tonſurâ nullus initietur, niſi eodem „ tempore Eccleſiæ illi adſcribatur, pro cujus „ ſervitio debet ordinari; ſi qui verò ſint etiam „ minoribus, aut Sacris ordinibus inſigniti, „ qui nulli certę Eccleſię fuerint adſcripti, Epi- „ ſcopi adſcriptionem hujuſmodi, etiam à ſuis „ Prædeceſſoribus omiſſam, ſuppleant, & pro „ arbitrio ſervitium, toties, quoties opus fue- „ rit, præſtandum deſignent. Ità autem ad- „ ſcripti, etſi Clerici ſint, etiam conjugati, „ aut beneficia, vel officia Eccleſiaſtica non „ obtineant, ab Eccleſiæ ſervitio, cui fuerint „ deputati, feſtis diebus ſingulis, præſertim

ſo-

(u) *Syn. Card. de Com. tit. 8. de ſac. Ord. c. 2.*

(x) *Trid. ſeſſ. 23. de reform. c. 6. & 16.*

(y) *Concil. Rom. tit. vi. cap. 2.*

„ ſolemnioribus ne abſint, propria ibi munia
„ obituri; aliàs ad altiores gradus promovendi
„ non promoveantur, & promoti, Epiſcoporum
„ arbitrio pro inobedientiæ gravitate mulctentur.
„ tur. Creſcente verò contumaciâ, Epiſcopi
„ ultra pœnas à Trid. Conc. indictas, poſt trinam
„ nam monitionem, contra inobedientes, &
„ contumaces procédant ad omnium uſque
„ privilegiorum clericalium privationem „ Nos igitur Eccleſiaſticæ regulæ, & Sanctiſſimi Domini Noſtri monitis, qua par eſt, reverentiâ obſequentes, ad pœnas per Sanctitatem Suam comminatas irremiſſibiliter procedemus contra Clericos quoſcumque, etiam in Sacris conſtitutos, qui Eccleſiæ, cui ſunt adſcripti, modo, quo ſuprà, deſervire neglexerint; ubi autem, attentâ Eccleſiarum qualitate nullum aliud eis ſuppetat munus obire, privatę ſaltem alicui Miſſæ miniſtrent; nec ad Ordines promoveri ſperent, niſi de præſtito hujuſmodi ſervitio docuerint.

5 Quoniam verò præſtitum Eccleſiis miniſterium valdè proficit, ut ordinandis quandoque interſtitia relaxentur, ſingulis innoteſcat ullam unquam ſpem diſpenſationis hujuſmodi iis, qui minùs frequenter ſuis Eccleſiis inſervient, ſuppetere; ex eo enim Eccleſiarum obſequio patebit, num pro iiſdem quis utilis, aut neceſſarius fuerit, ut ex lege (z) Trid. præſcribitur.

(z) *Trid. ſeſſ. 23. de reform. c. 11.*

6 Pa-

6 Parochi, Vicarii Foranei, aliique, quibus de Ordinandorum vita perquirere incumbit, nè ſint nudâ relatione contenti, quod nimírum Ordinandus bonis moribus exornetur, verùm quæ infrà innuémus, quò diligentiùs obſervent, & omni humano reſpectu poſthabito, opportuno tempore, ſecretò ſaltem, ad Nos deferant.

1 An Ordinandus ab ordine poſtremùm ſuſcepto habitum clericalem, ac tonſuram congruentem abſque fuco vanitatis geſtaverit.

2 An laudabili vita, an potiùs improba pateat; àn in platéis, aut officinis vagari ſolitus, & an cum laxioris vitæ hominibus converſetur.

3 An cum mulieribus cohabitet, & cujus ætatis illæ ſint; an conſanguineæ, & quo gradu; & an mulieres legere, ſcribere, & canere doceat.

4 An, & qualiter Eccleſiæ, cui fuit adſcriptus, inſerviat.

5 An Eccleſias frequentet, maximè cum Sacramentum expoſitum fuerit, ſive ad infirmos defertur, aut proceſſiones, ſive conciones habentur.

6 An, & quatenus Parochos adjuvet in Doctrina Chriſtiana, aliiſque functionibus.

7 An Sacramentorum uſum frequentet, & quoties in menſe.

8 An laicorum ſervitio ſit addictus, & an officio ſtatus clericalis indigno.

Digitized by Google

Hæc licet ab aliis etiam exigere poſſimus, qui ex Eccleſię inſtituto, ſi habeant [a] aliquid adversùs promovendos ad Ordines, cum fiducia exire debent, & dicere; à Parochis tamen, cæteriſque clericorum Præpoſitis potiori jure perquirimus, eos in Domino monentes, ut in rè tam gravi, quâvis negligentiâ, fraude, aut reſpectu poſthabitis, munus commiſſum, qua opus eſt, Charitate, & zelo perficere ſtudeant, ne indignorum ordinationi ullatenus, ad propriæ ſalutis perniciem, aſſentiri patiantur.

7 Cum autem non ſolùm moribus, ſed & ſcientiâ eminére debeat in populo Clericus, [b] quem doctrina ſine vita arrogantem reddit, vita ſine doctrina inutilem facit, Examinatores ad explorandam promovendorum ſcientiam deputatos monemus in Domino, ut [c] quocumque humano reſpectu poſthabito ſive neceſſitudinis, ſive amicitiæ, ſive commendationum, ſolius Dei honorem, dignamque miniſtrorum ejus aſſumptionem prę oculis habeant, nec miſeratione forſitan moti ſuffragium, quod pro ſola examinati ſcientia requirimus, cuique indebitum norint, ad alia ejus merita, ſi quę ſint, extendentes, conſcientię, juſtitięque conſonum reddere putent; hujuſmodi enim dijudicandi ratio Nobis reſervatur.

8 Ad ſufficientem patrimonii, beneficii, ſeu penſionis titulum ſervetur taxa [d] ſtatuta in Synodo Eminentiſſimi de Comitibus; non au-

(a) *Pontifical. Rom. de Ordine Diac. & Presbyt.*

(b) *S. Iſidor. Hiſpal. lib. 3. ſent. c. 36.*

(c) *Can. Sicut Epiſcopum, & Can. Pueri C. de Ordinationib. C. Quibuſdam C. eſtote 1. q 1 Extrav. cũ deteſtabile §. ſtatuentes de Simonia Trid. ſeſſ. 21. de ref. c. 1.*

(d) *Car. Sanctorum, & Can. neminem diſt. 70. Syn Car. de Com. hoc tit. cap. 2.*

autem eo rigore, ut attentâ præſenti rerum inopiâ, meritis Ordinandorum, & caſuum circumſtantiis non ſit à Nobis in aliqua ſumma pro noſtro libitu diſpenſandum; quod Nobis tantùm, & ſucceſſoribus noſtris reſervamus.

9 Quæ denique, & qualia requiſita afferenda erunt à quolibet promovendo, ſine quibus nec ad Ordines, nec ad examen ullus admitti poterit, edicimus diſtinctè in inſtructione in fine Synodi inſerenda. *In Appendice.*

10 Hæc de remota Ordinandorum ad Sacros ordines diſpoſitione: ut autem proximè ad ſeptiformem Spiritus Sancti gratiam in Sacramento recipiendam diſponantur, ſicuti præcipua Sacerdotii noſtri, quo fungimur, cura eſt, ità primum Initiandi cujuſque ſtudium eſſe debet; quid enim ipſis, quid Eccleſiæ proderunt exterioris diſciplinæ ſervata præcepta, niſi Deus (e) deſuper in viſceribus eorum ſpiritum innovet Sanctitatis, ut acceptum ſecundi meriti munus obtineant, cenſuramque morum exemplo ſuæ converſationis inſinuent.

(e) *Pontifical. Rom.*

11 Licet autem integrum (f) interſtitiorum tempus ideò à majoribus noſtris ſit inſtitutum, ut ad ſuperiores Ordines provehendi Clerici de die in diem per nova virtutum merita dignis (g) ſucceſſibus de inferiori gradu capere potiora mereantur; ad ſupplendum tamen quemcùmque imbecillitatis humanæ, in re tanti momenti, defectum, Sanctiſſimis Summorum Ponti-

(f) *Trid. ſeſſ. 23. c. 11. C. 1. p. 3. & 8 diſt. 77. Cæleſtinus Papa ad Epiſcopos Galliæ ep. 2. c. 3.*

(g) *Pontifical. Rom. de Ordine Diac.*

ficum [h] decretis inhærentes, ſtatuimus, ut quicumque ad Sacros Ordines promoveri cupiunt, per decem continuos dies, immediatè ordinationem præcedentes, à terrenis ſegregati, & in cœleſtium contemplatione defixi, ſpiritualibus vacent exercitiis, quæ ut eà, qua decet, ſedulitate peragantur, nuper in Epiſcopio noſtro fieri inſtituimus. Tepuerat ſiquidem morigerati Cleri noſtri Eccleſiaſticus fervor, dum gratiâ Sacræ Ordinationis neglectâ, ad eam Clerici per exteriorem tantùm in pia aliqua domo receſſum, nulla interioris hominis exercitatione diſponebantur: ex quo autem ſub oculis noſtris omnes [i] pariter in eodem loco, religioſiſſimo Viro duce, ac magiſtro, diſtributis per momenta ſingula exercendarum virtutum actibus, perſeverantes unanimiter in oratione, [k] indui expectant virtute ex alto, [l] diſciplinam, & ſapientiam docuit eos Dominus, firmavit in illis gratiam Spiritus ſui, & intellectu [m] implevit corda eorum, adeò, ut priſtina in univerſo Clero ſenſim diſciplina refloruerit, & quotidie Eccleſia noſtra læta ſuſcipiat Ordinatos, quos fortè fleverat ordinandos. Ad ſacros igitur Ordines provehendi, in Epiſcopio Noſtro per decem continuos dies diù, noctùque commorantes, ſub exacta aſſignato Directori obedientia, ab externorum colloquiis alieni, uni Deo vacare ſatagant. De iis omnibus, quæ vel ad ſpiritualem animæ profectum uti-

(h) *Lit. Circ. S. Cong Ep. ſub dat. 2 Octobris 1682. Bulla 126. Alex. VII incipien. Apoſtolica ſollicitudo.*

(i) *Act.* 2. 1.

(k) *Lucæ* 24. 49.

(l) *Pſal.* 118. 66.

(m) *Ad Coloſſ.* 1. 9.

utilia, vel ad victum neceſſaria ſunt, ſatis per Nos proviſi, à domeſticarum rerum cura alieniſque cogitationibus mentem abſtrahant, & ad cęleſtia ſolùm erigant deſideria. In ſacris cæremoniis obeundis, maximè quæ ad hoc Sacramentum dignè ſuſcipiendum, & ritè exercendum, præſcribuntur, frequentes ſint, & ſublimia in iis ſacrarum functionum myſteria recolentes, conſcientiâ purâ, fide verâ, charitate non fictâ ad Altare Domini accedant, & per impoſitionem manuum noſtrarum Spiritus Domini ſuper eos deſcendat; quo in (n) opus miniſterii fideliter exequendi ſeptiformis gratiæ munere roborentur, abundetque in eis totius forma virtutis, quatenus nec Nos (o) de eorum provectione, nec ipſi de tanti officii ſuſceptione damnari à Domino, ſed remunerari potius mereamur.

(n) *Pontifical. Rom. de Ordine Diac.*

(o) *Pontifical. Rom. de Ordine Presbyt.*

12 Ad primam Tonſuram, & minores Ordines promovendi iiſdem etiam ſpiritualibus vacent exercitiis; ſed quia propriam domum ipſos quotidie redíre permittimus, diverſa in aliquibus methodo ſe gerent, juxta peculiarem regulam eis à Directore, tradendam. In cæteris verò anni temporibus, in quibus ad præfatos minores Ordines, & Tonſuram initiari aliquem contingat, is in religioſa domo à Nobis aſſignanda per quinque ſaltem dies ſub experti, piique Sacerdotis directione ſimiliter exerceatur; & tàm ibídem, quàm in propria domo, ad quam di-

ver-

vertere permiſſum eſt, ſingularis interim modeſtiæ, ac devotionis ſpecimen præſeferat, de quo diligenter inquirere, noſtrum erit.

CAPUT NONUM.

De Sacramento Matrimonii.

1 MAGNUM (p) in Chriſto, & Eccleſia Matrimonii Sacramentum, puriſſimi æternique Amoris myſterium exprimens, quo Sponſus (q) ſanguinum, & dolorum dilectam è proprio latere efformatam, non (r) habentem maculam, neque rugam proſequitur, ne à filiis (s) Sanctorum, more gentium, quæ ignorant Deum, celebretur, Parochi (t) in primis advigilare debent; quòcirca fideles à ſe Matrimonio jungendos, tùm in ipſamet celebratione, tùm opportunè inter Miſſarum ſolemnia ſępius edoceant, quanta ſit ejuſdem Sacramenti dignitas, atque præſtantia, ut ità non humanam aliquam rem ſe aggredi exiſtiment, ſed divinam, in qua proinde ſingularem mentis integritatem, & pietatem adhiberi oporteat. Proponant quandoque in horrendum divinæ ultionis exemplum ſeptem (u) viros illos, primâ nuptiarum nocte à dæmone ob oculos Sarę uxoris occíſos, terreantque monitu Raphaelis Archangeli ad Tobiam -- Hi, (x) qui conjugium ità ſuſcipiunt, ut Deum à ſe,

(p) *Ad Epheſ.* 5. 32.

(q) *Exod.* 4. 25.

(r) *Ad Epheſ.* 5. 27.

(s) *Tob.* 8. 5.

(t) *Trid. ſeſſ.* 24. *de ref. Matrim. c.* 1. *Rit. Rom. in rubr. de ſacr. Matrim. §. admonendi-tur.*

(u) *Tob.* 3. 8. 6. 14.

(x) *Tob.* 6. 17.

à ſe, & à ſua mente exclúdant, & ſuæ libidini vacent, habet poteſtatem dęmonium ſuper eos.

2 Ad evitanda gravium malorum pericula, quæ propter lapſæ naturæ fragilitatem, & corruptos hominum mores, ex frequenti ſponſorum conſuetudine ante Matrimonii celebrationem exoriri ſolent; vehementer cuperemus, exactis denuntiationibus, Matrimonium per verba de præſenti quàmprimum contrahi; imò & ad ipſas denuntiationes poſt inita ſponſalia quàm citiſſimè deveníri, quæ propterea ſedulò advertant Parochi, & ad Nos opportunè recurſum habeant, ne temerè (ut paſſim accidit) ſponſalia contrahantur, nève contracta iniquo jure dirimantur.

3 Quinimò ad frequens hujuſmodi ſcandalum à Diœcéſi noſtra quoquo modo ablegandum, & temera hujuſmodi abſque ullo conſilio inita ſponſalia, quibus deinde alter ex Sponſis ut plurimùm ſtare renuit, moderanda, ſub gravibus arbitrio noſtro pœnis, eadem ſine ſcitu Parochi deinceps non celebrentur. Ut autem diuturnæ etiam, eæque ſcandaloſæ amantium conſuetudines dirimantur, Parochi cum primùm profanos hujuſmodi amores in Parochia ſciunt, amantes conveniant; explorent utrùm verè Matrimonium inter ſe iníre velint; etſi ad hunc finem amores tendere compererint, tempus eis pro ſua prudentia ad ſponſalia contrahenda præfiniant, quo elapſo, ſi non

par-

paruerint, & in amore perſtiterint, rem ad Nos deferant, ut opportuniore remedio provideamus; ſi verò amantes ità inter ſe verſari deprehendent, ut nullum Matrimonio reſpectum habeant, totis viribus ſe opponant, & eos ſeverè puniendos Nobis denuntiare non omittant.

4 Frequentes jurgiorum, & contentionum origines, imò nequiora amorum fomenta, munera ſunt, quæ hìc in dies, amatis fœminis perditi amantes cæco modo elargiuntur, & levi deinde animo, ut plurimùm, ab eis repetere contendunt, hinc ſcandaloſiores primùm conſuetudines; hinc poſteà rixæ, & inemendabiles animorum diſcordiæ, quibus occurrere pro viribus volentes præcipimus, munera omnia quocumque fine inter præfatos amantes viciſſim ante inita ſponſalia elargíta, repeti amplius non poſſe; ità ut quęcumque ſic donata fuere, amiſſa omninò ſint. Validum hinc etiam innumeris, quæ à profanis amoribus ſcatère ſolent malis aggerem ponere confidimus, cum perſæpe (ut ait D. Hieronymus) munera hujuſmodi (y) peritúræ honeſtatis indicia ſint.

5 Prætereà, ut radicitùs invaleſcentis abuſus originem evellamus, enixè interdicimus, ne ſponſi ante quàm Matrimonium per verba de præſenti contraxerint, aliique profanum amorem exercentes, ullam ob cauſam quantumvis honeſtam, in eadem (z) domo, ſeu propria, ſeu

(y) *D. Hieron.*

(z) *Syn. Card. de Com. hoc tit. c. 2.*

ſeu aliena, etiam per modicum tempus, conveniant; inobedientes, imò & eorum parentes, & conſanguinei, qui hoc permiſerint, quique ſponſorum, & talitèr amantium curam aliquo modo habuerint, illicò irremiſſibiliter pœnâ carceris punientur, aliiſque pecuniariis pro qualitate perſonæ, quarum tertia pars denuntianti applicabitur; ad eaſdem inſuper procedere omninò volumus etiam per inquiſitionem; imò & pro auctæ inobedientiæ culpa tranſgreſſores gravioribus pœnis, atque etiam in ſubſidium, excommunicatione plectèmus.

Scimus zelantiſſimos Prędeceſſores noſtros per ſententiam [a] excommunicationis ipſo facto incurrendæ ſcelus hujuſmodi profligàre ſapienter conatos eſſe; ſed cum iniquitas temporum, & aucta in dies hominum malitia ad animarum potius perniciem detorſerit, quæ ad ſalutem, providâ deſuper deliberatione ſancita fuere; & carnalium cæca mens hominum miſeris hiſce diebus, magis temporalium rigòre pœnarum, quàm ſpiritualium ſeveritate flectatur, eamdem cenſuram arbitrio noſtro pro delicti qualitate ferendam reſervantes, ad comminatas corporis afflictivas pœnas zelum noſtrum convertimus; ut qui Eccleſiæ fulmina non verentur, flagella, quæ ſervili, indiſciplinato animo timent, non effugiant. Parochorum autem conſcientiam oneramus, ut de tranſgreſſoribus diligenter inquirant, & eos Nobis

(a) *Syn. Card. de Com. ubi ſupra.*

bis denuntiare non negligant; aliter contra ipſos procedemus, etiam per ſuſpenſionem à Divinis.

6 Ne in probatione ſtatus liberi contrahentium, aliqua fiat fraus, ſed occurratur deteſtando crimini polygamiæ, ex quo tot mala procedere poſſunt, in Civitate præſertim alienigenis referta, teſtes in noſtra curia recipiendi examinentur diligentiſſimè juxtà inſtructionem Sacrę Congregationis generalis Inquiſitionis de urbe, in calce Synodi apponenda: nec facilè recipiantur omnes abſque delectu ad teſtimonium ferendum, ſed perſonæ probatæ fidei, & quantum fieri poteſt cognitę. Si autem contrahentes erunt exteri, vel etiam oriundi, qui ab hac Diœceſi diù abſuerint, (b) eò diligentiùs diſcutiantur documenta eorum ſtatus liberi, nec aliter admittantur ad Matrimonium contrahendum.

In appendice.

(b) *Ad Trid. ſeſſ. 24. de reform. Matr. c. 7.*

7 Ut dubitationibus, quæ ex domicilii mutatione ſuboriri ſolent, conſulatur, in nulla Paræcia tres ad Matrimonium præſcriptæ proclamationes fiant, niſi uterque, vel alter ſponſus, ſaltem quatuor ante menſibus ibi domicilium collocarit: breviori autem elapſo tempore una quidem in ea, ad quam recèns commigrarunt, duæ reliquæ, unde diſceſſerant, peragantur.

8 At quia inutiles planè forent (quod experientia non ſemel comprobavit) conjugiorum proclamationes tàm enixè à Trid. Synodo (c) ad

(c) *Trid. ſeſſ. 24. de reform. Matr. c. 1.*

ad eruenda, ſi quę ſint, canonica impedimenta requiſitæ, niſi ea populo, quæ Matrimonium contrahendum impediunt, & contractum dirimunt, ſæpius edicerentur; idcircò ipſimet [(d)] Parochi ex probatis auctoribus, Matrimonii impedimenta exactè noverint; eaque ſuas plebes bis ſaltem in anno, iis nempe temporibus, quibus ſolemnes nuptiæ aperiuntur, inter Miſſarum ſolemnia, docebunt; nè fideles falſo nuptiarum nomine decepti, turpium amorum fœdera incautè ineant.

(d) *Catech. Rom. de Sacram. Matrim. n. 30.*

9 Ne verò individua vitæ conſuetudo, quæ in conjugali conſortio ſervanda eſt, temerè (ut ſępe accidit) contemnatur; ſi conjuges aliquandò abſque legitima cauſa à ſacris Canonibus [(e)] permiſsâ, & Eccleſiæ judicio probata, à communi cohabitatione diſceſſerint, ac maritalem convictum recuſaverint, ſedulò ſtudeant Parochi, vel per ſeipſos, vel aliorum operâ, ut ad priſtinam vitæ ſocietatem revertantur: & niſi profecerint, rem ad Nos deferant, ut opportunis remediis, eorum, qui ſic fidem, ac connubia maculant, damnabilem contumaciam compeſcamus.

(e) *C. Uxor 32. q. 7. c. Sæculares. c. an quod in Subditos, & c. Hiſtoria 33. q. 2. c. tua nos ils de Jurejurando c. lator de ſent. & re jud. c. porro & c. de illa de divor. Sixtus V. Conſt. 46. ad compeſcendũ §. 2.*

10 In reliquis abundè proviſum eſt per Synodales Prædeceſſorum [(f)] noſtrorum conſtitutiones, quas unà cum hiſce noſtris ſervari omninò volumus, ut juxtà monitum Apoſtoli, honorabile [(g)] ſit Connubium in omnibus, & thorus immaculatus.

(f) *Syn. Emi de Aſt., & de Com. hoc tit.*

(g) *Ad Hæbr. 13. 4.*

Digitized by Google

PARS TERTIA.

CAPUT PRIMUM.

De Vita, & honeſtate Clericorum.

1 LATA hucuſque à Nobis Chriſtianæ diſciplinæ præcepta, ut populus curæ noſtrę commiſſus, mores ſuos ad virtutem compònat, inutilia planè forent, niſi à Clericorum vita, quę laicorum (h) liber eſt, imitationem (i) ſanctam plebs acquireret, & altiùs in eorum actibus impreſſas Sanctimoniæ leges inſpiceret; ad (k) dandam ſiquidem ſcientiam ſalutis plebi ejus, in ſortem Domini vocati ſunt; adeò ut (l) quidquid agunt, quidquid loquuntur, doctrina ſit populorum. Ne igitur in vanum (m) laboraverimus, qui Domum Domini Synodalibus hiſce legibus ædificare ſtuduimus, ad illuſtriorem nunc amatiſſimi Cleri inſtitutionem, ſtudia noſtra convertimus; ut habitu, cultu, ſermone, & actionibus nil, niſi (n) grave, moderatum, & religionis plenum præſeferens, viam (o) vitæ in veritate doceat, & Chriſti (p) ſit bonus odor in om-

(h) *Concil. Turon. an. 1537.*
(i) *Pontifical. Rom. de Ordine Diac.*
(k) *Lucæ 1. 77.*
(l) *S. Hieron. Ep. 128. in fine.*
(m) *Pſal. 12. 1.*
(n) *Trid. ſeſſ. 22. c. 1. de refor.*
(o) *Math. 21. 16.*
(p) *2. Cor. 2. 15.*

Digitized by Google

omni loco, ne à Domino in die furoris ſui diſtricto judicio puniatur, ſi laxioris vitæ exemplo, oves ejus mactaverit, qui omnes (q) Chriſto lucrifacere debuiſſet.

2 Abſtineant omnes Eccleſiaſtici ab immoderato corporis cultu, (r) nec deferant veſtes, quæ ad luxum compoſitæ eſſe videantur; non tamen viles, ſordidas, & neglectas, ſed ſimplices, mundas, ac tales, ut neceſſitati, & honeſtati, non ambitioni, & vanitati ſerviant; nec apertas ante pectus ità, ut ſubucula appareat; tàm denique coloris modeſtiâ, quàm cultus ſimplicitate, religioſam præſeferant humilitatem. Minores etiam Clerici, qui longè ab oculis noſtris in Diœcèſi ſunt, caveant ne unquam ſine clericali habitu, & collàre incèdant; de quo Parochi certiores nos reddere teneantur; qui (s) enim ſpretâ in veſtibus forma eccleſiaſticę honeſtatis delectantur eſſe deformes, ii cupiunt laicis conformari, quodque mente gerunt, habitu profitentur.

3 Monſtruoſum eſt ſub ſpinoſo capite Chriſto Jeſu; imò ſpineæ ipſius Coronæ inſignia geſtantes in capite, comam (t) nutrire; quo circà vereantur Clerici, qui ad (u) deponendum comas capitum pro Dei nominis honore feſtinarunt, crines cincinnatos, cyprioque pulvere aſperſos nutríre; quinimmo ità decurtatos ęquali circum circâ tonſurâ (x) capillos habeant, ut aures utrinque pateant; conſpicuam ſemper clerica-

(q) *1. Cor. 9. 19.*

(r) *Can. omnis jactantia cum ſeqq. 21. q. 4. Trid. ſeſſ. 14. de reform. c. 6. 1. Conc. Prov. S. Caroli par. 2. hoc tit. Cap. ſiquis ex Clericis hoc tit. Conc. Tolet. 8. c. 3.*

(s) *Conc. Conſtan. Martin. PP. ſeſſ. 43.*

(t) *Cap. Cleric. hoc tit. Conc. Tolet. 11. c. 14. 1. Conc. Prov. Mediol. S. Caroli p. 2. hoc tit.*

(u) *Pontifical. Rom. de Clerico facien.*

(x) *S. Cong. Concilii in Vigilien. 1699. Syn. Card.*

ricalem geſtantes coronam, proprio cujuſque ordini congruam; nec audeant fictitiam (y) deferre comam, ſive quæ integrè capiti aptatur, ſive quę in gyro tantùm ad aures pendet, vulgò detto Girello, ſub pœna etiam ſuſpenſionis à Divinis, maximè ſi iiſdem in Miſſa, aliiſque Sacris functionibus utantur.

de Com. hoc tit. c. 2. & 5. Syn. Card. de Aſte Decr. 20. de Vita, & honeſt. Cler.

(y) Concil. Rom. Bened. XIII. tit. 16. cap. 3.

4 Cum nihil diſtrictiùs per ſacros Canones, Synodicaſque Diœcèſis noſtræ leges Eccleſiaſticis interdicatur, quàm cohabitatio (z) cum mulieribus, nemo ex Clericis cohabitare audeat cum fœminis cujuſvis ætatis (niſi forte ſynodalis, & gravis, & hoc de noſtra licentia) cujuſvis gradus & conditionis (niſi conſanguineę ſint, aut affines in primo, vel ſecundo gradu) ſub gravibus pœnis arbitrio noſtro, quas non effugient, etiamſi titulo honeſti alicujus ſervitii (niſi de iis fortè ſint, quæ communi Eccleſiæ ſtylo in Clericis tolerantur, vel licentiam à nobis deſuper obtinuerint) cohabitationem hujuſmodi excuſare ſatagant. Incauti illi, perditiquè Patres familias, qui vel juvenes, vel ſuſpectas ancillas domi cum filiis tanto cum animarum diſcrimine retinère non timent, ſciant inpoſterùm taliter cohabitantes filios, ſi Clerici ſint, nullo à Nobis favore proſequendos, nec in beneficiorum collationibus, nec in promotione ad Ordines, nec aliâ quacumque, quę à noſtro pendeat arbitrio, clericalium munerum diſtributione; volentes omninò tàm execran-

(z) Concil. Rom. Bened. XIII. Tit. 16. c. 3. Syn. Emi de Com. hoc tit. c. 3. Synod. Card. de Aſte Decr. 20. cit. Can. interdixit. Can. Hoſpitiolum. d. 32. C. omnibus. C. Epiſ. d. 34.

dam

dam parentum culpam in filiis etiam punire.

5 Monèmus inſuper dilectos Sacri Altaris miniſtros, ut omne incontinentiæ periculum, ac ſuſpicionem cautè vitantes, extranearum quoque fœminarum [a] ædes, congreſſus, familiaritates, modernas, quas filii [b] hujus ſeculi vocant converſationes, quovis officii prætextu nullatenùs frequentent; quid enim ipſis (ut Hieronymus inquit) neceſſe [c] eſt in ea verſari domo, in qua neceſſe habent quotidie perire, aut vincere? Meminerint [d] converſationem eorum in Cœlis eſſe, & cum Angelis quotidiè Sacris Altaribus adſtituri, vereantur veſperè cum fœminis ridère, & ludere, ac manè cum Chriſto Paſſionis ejus flere myſteria. Qui sìc egerint indignationem noſtram incurrent, & opportuno tempore pœnas dabunt.

6 Nemo etiam Clericorum, tàm ſecularium, quàm regularium doceat [e] mulieres, aut puellas legere, ſcribere, canere, ſonare, inſtrumenta pertractare, ſeu quidquid aliud, non impetratâ à Nobis facultate; ſi ſecus egerit, pœnis ad noſtrum arbitrium, & etiam carcere punietur.

7 Quia Deo militantes nec lucrum ſectari, nec negotiis ſæcularibus implicari decet, ideo nullum [f] mercaturæ, aut negotiationis genus per ſe, vel per alium exerceant; aliena prædia, redditus, vectigalia non conducant, nec ullâ cum conductoribus communione jungantur.

San-

(a) *C. Clericus, & C. Clerici diſt. 81. cap. bis igitur diſ.* 23.

(b) *Lucæ* 16. 8.

(c) *S. Hieron. de vitando ſuſpecto Contubernio.*

(d) *Ad Philipp.* 3. 20.

(e) *Conc. Prov. S. Carol. tit. 2. dec.* 23.

(f) *C. Pervenit cum ſeqq. 2. q. 3. C. ex literis de vit. & honeſtate Cler. Can. Canonũ 14. q. 4. Can. Ne-*

Sanctiſſimi Domini Noſtri legibus in Concilio Romano editis, qua par eſt ſedulitate obſequentes, ſæcularibus [g] perſonis nullo modo, ne in procurandis quidem negotiis, aut domus gubernatione famulentur. In nullo demùm commercio, [h] officio, aut arte ſeculari, præſertim inhoneſta, ac ſordida, in agrorum cultu, & ſimilibus nullatenus verſentur. Qui in aliquo ex præmiſſis deliquerit, ſe pœnis juris, aliiſque arbitrio noſtro ſeverè puniendum noverit.

8 Tutelas, [i] aut curas non ſuſcipiant, niſi impetratâ à Nobis facultate; neque ſine eâdem licentia audeant Cauſidicum, Advocatum, Procuratorem agere in Tribunalibus laicis, nec in iiſdem pro aliquo fidejubère ſub pęnis arbitrio noſtro.

9 Turpe, & intolerabile eſt Eccleſiaſticos tempore baccanalium perſonatos [k] incedere, vel larvam induere, omnique alio tempore verſari de nocte, ludrica canendo, ſive muſica inſtrumenta pulſando, alioſque pulſantes, aut canentes concomitari; ſi quis igitur in his deprehenſus, vel per legitimos teſtes convictus fuerit, pœnâ carceris formalis, vel aliis ad noſtrum arbitrium mulctabitur.

10 Prohibemus Clericis in quacumque actione ſcenica [l] profanam quamlibet perſonam ſuſtinère, aut aliquid quovis modo recitare ſub pœna carceris, aliiſque noſtro arbitrio reſervatis;

gotiatorem cum ſeqq. diſt. 88. Cap. 1. ne Clerici ſe immiſc. cap. 1. & 2. hoc tit. Conc. Later. 3. c. 12.

(g) *Concil. Rom. loco cit. C. 2. ne Cler. vel Monachi Syn. Card. de Comit. c. 8. hoc tit.*

(h) *C. pervenit diſt. 86. C. Clerici offic. de vit. & hon. Cler. Clem. 1. eodem tit.*

(i) *Conc. Rom ſub Silveſtr. c. 16. can. duo ſunt 12. q. 1. Cap. cupiens cum ſeqq. 21. q. 3. cap. Sacerdotibus ne Clerici &c. c. 1. de poſtulando, & 1. hoc tit. Can. non oportet. C. nullus Presbyteror. de Conſec. diſt 5. Conc. Carthag. 4. cap. 57. Trid. ſeſſ. 22. de ref. cap. 1. Syn. Ethi de Com. hoc tit. c. 8.*

(k) *Can. Clericum diſt. 46. cap. cum decorem hoc tit. Conc. Prov. S. Caroli p. 2. tit. de armis, ludis &c. Synod. Card. de Com. hoc tit. c. 5.*

(l) *Can. non oportet de Conſec. diſt. 5.*

tis; quas incurrere volumus etiam eos, qui profani ſpectaculi auctores fuerint.

11 Satis videtur abſurdum, ut Clerici (m) quis prætendat in ordine ſpeciem, & ſæcularium teneat vivendo converſationem; ac quem à laicorum turmis, profeſſionis conditio ſeparat, turpe eſt, ſi domeſtica converſatio laicum eſſe convincat. Ad loca itaque in quæ Laici ad negotiationes, (n) otioſas confabulationes, & ludos convenire ſolent, non accedant; conſuetudinem procacium, & criminoſorum vitent; ſed inter ejuſdem profeſſionis viros, qui ſapientes, & diſciplinati ex bona (o) converſatione operationem ſuam in manſuetudine ſapientiæ oſtendant, ſocietatem habentes, ſit ſocietas (p) eorum cum Patre, & Filio ejus Jeſu Chriſto, quomodo oportet eos, qui in domo (q) Dei ſunt, converſari.

12 Cętera, quę ad armorum (r) delationem, ad ludos, aliaque Clericis ſunt in jure prohibita, ſatis expreſſa habentur in Synodo cl. mem. Eminentiſſimi de Comitibus.

13 Ut Sacroſanctos Eccleſiæ ritus, & cæremonias, quibus ſuprema Dei noſtri Majeſtas per ipſos in ſacris functionibus veneratur, & colitur, exquiſitâ, quâ par eſt, diligentia ſervent, (s) ſæpè præ manibus rubricas habeant, & in iis frequenter publicè, & privatim exerceantur. Quò autem de eorum deſuper profectu certi ſimus, coram Nobis in Cathedrali noſtra,

(m) *S. Petr. Damian. lib. 5. ep. 1.*

(n) *Can. non oportet. C. nullus Presbyteror. de Conſec. diſt. 5. Concil. Carthag. 4. cap. 57. Trid. ſeſſ. 22. de refor. c. 1. Syn. Card. de Com. hoc tit. c. 7.*

(o) *Jacob. 3. 13.*

(p) *1. Joan. 1. 3.*

(q) *1. ad Timot. 3. 15.*

(r) *Syn. Card. de Com. hoc tit. cap. 6. & 7. cum ſeqq.*

(s) *Conc. Rom. loco cit. c. 3.*

Digitized by Google

ſtra, Clerici omnes alternatim, juxta notam ceremoniarum Pręfecto tradendam, in ſuo quiſque Ordine ſolemni Miſſę, aliiſque divinis Officiis inſervient; & in conferentiis caſuum tertius, qui pro Clericis de more proponitur, circa rubricas inpoſterum verſabitur.

14 Quos inſuper ſtatuit Cantores (t) Dominus, ut laudent eum in turmis ſuis, & voce conſona confiteantur ei, Gregorianum (*) cantum addiſcere oportet, quo ſapienter, & ordinatè in (u) conſpectu Angelorum pſallentes, in voce (x) laudis immolent Deo.

15 Statis anni diebus, in quibus Nos, vel ſacra ſolemniter facere, vel aſſiſtere ſolemus, omnes de Clero Civitatis, exceptis forte iis, qui Nobis expreſsè annuentibus, propriæ Eccleſiæ tunc temporis inſerviunt, divinis Officiis adeſſe non omittant ſub pœnis per Edictum latis, aliiſque gravioribus arbitrio noſtro. Et Clerici de exacto hujuſmodi obligationis adimplemento teſtatum in Cancellaria noſtrà exhibeant, dum ad Ordines promovèri petunt.

16 Hæc ad externum Cleri noſtri cultum; interiorum autem incrementa virtutum, ſicuti à Deo Optimo Maximo indeſinenter petimus, ità votis omnibus ab unoquoque Clericorum exquirimus. Eluceat (y) in eis totius forma juſtitiæ; fervidam in Deum, & proximum charitatem, firmam in ſancto caſtitatis propoſito voluntatem, conſtantiam, miſericordiam, for-

(t) *2. Paralip. 20. 21.*

(*) *Idem Roman. Conc. loco cit.*

(u) *Pſal. 137. 1.*

(x) *Pſal. 25. 7.*

(y) *Pontifical. Rom. de Ord. Preſbyt.*

titudinem, cæteraſque virtutes in ſe oſtendant. Præ cæteris autem Divini honoris, & animarum zelus emineat; Divinorum (z) enim Diviniſſimum eſt cooperari Deo in ſalutem animarum. Nec quia plerique parochialibus non præſunt Eccleſiis, ſe ab hujuſmodi onere, ſeù veriùs à tanto munere exemptos putent: recolant ſæpè quæ in ſuſcipiendis Ordinibus per os Epiſcopi à Spiritu Sancto audierunt omnes -- In medio (a) nationis pravæ, & perverſæ lucète, ſicut luminaria in mundo, verbum Vitæ continentes, ut & vos, & alios, & Dei Eccleſiam illuminetis -- Si humana (b) fragilitate in aliquo contingat fideles maculari, præbenda eſt à vobis aqua cœleſtis doctrinę, quâ purificati ad ornamentum Altaris, & cultum Divini Sacrificii redeant -- Sit (c) doctrina veſtra medicina ſpiritualis populo Dei; ſit odor vitæ veſtræ delectamentum Eccleſię Chriſti -- Hęc non ad Parochos, ſed ad Lectores, ad Acolytos, ad Subdiaconos, ad Levìtas. Sacerdotes autem, quotquot initiantur, illis ſuccedunt Doctoribus, qui Apoſtolis (d) fidei comites additi orbem totum ſecundis prædicationibus implevèrunt. Quapropter in Sacra eorum ordinatione, (*) infirmitati quoque noſtrę eos petimus veluti adjumenta largíri, qui quantò fragiliores ſumus, tantò his pluribus indigèmus; ideòque providi (e) dicuntur cooperatores Ordinis Noſtri. Ut purum (f) igitur, & immaculatum Miniſterii ſui donum

cu-

(z) *S. Dionyſ. de cœleſt. Hierarch. c. 3.*

(a) *Pontifical. Rom. de Ord. Acolyt.*

(b) *Pontifical. Rom. de Ord. Subdiac.*

(c) *Pontifical. Rom. de Ord. Presbyt.*

(d) *Idem Pontifical. de Ord. Presbyt.*

(*) *Ibidem.*

(e) *Ibidem.*

(f) *Pontificale Rom. de Ord. Presbyt.*

Digitized by Google

cuſtodiant, Sacerdotum, & Clericorum omnium zelus ad amatiſſimi noſtri gregis cuſtodiam Nobiſcum advigilet; ad vineam (g) Domini colendam conducti non otientur in foro, ſed in Eccleſiis inſtruant, in privatis domibus ædificent, & ubique Nomen (h) Domini annuntient. Nos etenim hac ſpe gaudentes, vineam noſtram quantocyùs florentem, daturam (i) ſperamus odorem ſuum, odorem (k) agri pleni, cui Dominus benedicet.

(g) *Math.* 10. 1.

(h) *Pſal.* 101. 22.

(i) *Cantic.* 2. 13.

(k) *Geneſ.* 27. 27.

17 Quoniam verò tanto muneri inhabiles, ſola eos reddere poteſt ignorantia, cujus vel nomen in Clero monſtruoſum eſt; caveant ne qui ſal (l) terræ à Domino nuncupantur, ob literarum inſcitiam ad condiendos populos quaſi infatuati, reddantur inutiles; quinimò refloreat omninò in Clericis toties præſcriptum à Nobis ſcientiarum ſtudium, cui ut fructuoſiùs incumbant, ſcholas impigro, & exacto ordine frequentent; nulla ſiquidem à Nobis ſtudiorum ratio habebitur, quæ inordinatè, & ſine debita methodo fient. Clerici itaque omnes in minoribus Ordinibus conſtituti ſcholas Grammatices frequentare non omittant, & humanioribus literis dent operam; Subdiaconi autem, & Diaconi, ac ætate grandiores, præcipuè Sacerdotes, ſtudia (m) graviora amplectantur, habeantque libros ſaltem neceſſarios, veluti novum, & vetus Teſtamentum, Catechiſmum Romanum, Concilium Tridentinum, pro-

(l) *Math.* 5. 13.

(m) *Conc. Colon.* 1. *an.* 1536. *p.* 12. *c.* 1. & *Colon.* 2. *an.* 1549 *tit. Quoad inſtituendam Juventutem* §. 2. *Paſſim.*

probatos aliquos moralis Theologiæ Summiſtas, & alios ad verbi Dei prædicationem, & Sacramentorum adminiſtrationem pertinentes, haſque noſtras, nec non Prædeceſſorum noſtrorum Synodales conſtitutiones. Noſtrum deinde erit de Clericorum in ſtudiis profectu inquirere, non ſolùm in publico ordinandorum examine, ſed privatìm etiam, eos præcipuè, qui jam Sacerdotio ſunt initiati, ad Nos vocando; gymnaſia quandoque inviſendo; Ludimagiſtros interrogando; cæteraque adhibendo opportuniora media, quibus Eccleſiæ votis, & gregis neceſſitatibus in rè tanti ponderis reſpondeamus.

18 Nemo tamen in ſtudiis proficiet, niſi primùm ſtudeat orationi. Hæc ſibi invicem ità copulantur, ut omnimodam Eccleſiaſtici inſtitutionem perficiant; unde Divus Hieronymus Clericum inſtituens ait, incipiat [n] oratio, ſtudium ſuccedat orationi; nec illi tantùm, quæ fidelibus omnibus apprimè neceſſaria, & laicis etiam communis, vocalis dicitur; ſed illi præcipuè, quæ mentem [o] à terrenis abſtrahens, humiles [p] ponit in ſublime, & ſupernis animum inſtruens diſciplinis, ſcientiam [q] Sanctorum homines edocet, eiſque adhuc in exilio degentibus, Dei [r] Regnum oſtendit. Nullus igitur prætereat dies, in quo Clerici non meditentur [s] eloquia Domini, ſive quæ in Evangelio Miſſę legenda ſunt, ſive quę in proba-

(n) *S. Hyer.*

(o) *Syn.Card. de Aſte Decr.20. de vita,& bon.Cler.*

(p) *Job. 5.11.*

(q) *Sapientię 10. 10.*

(r) *Ibidem.*

(s) *Pſ. 118. 148.*

batis meditationum libris, de quibus ipſos omninò proviſos volumus, reperire eſt. Tempus habeant perutili huic exercitio ſtatutum; ad Deum [t] de luce vigilent, & meditentur [u] in omnibus operibus ejus. Non tenuem quandoque, & præcipuè in anniverſaria die propriç cujuſque ordinationis, meditandi materiam ſuggerent, quæ ſibi à Deo per os Epiſcopi dicta fuere, dum ad Sacros Ordines promoverentur; utiliſſimâ hujuſmodi, & toties à ſanctis Dei hominibus probatâ praxi ſuſcitent [x] gratiam Dei, quæ in eis eſt per impoſitionem manuum noſtrarum; sic autem fructuosè orantes, & orationi ſtudium copulantes, benè [y] vivendo, & benè docendo, populum inſtruent, quomodo debeat vivere; benè etenim docendo, & malè vivendo, Deum potiùs inſtruerent, quomodo debeat eos condemnare.

(t) *Pſal.* 62. 2.
(u) *Pſal.* 76. 13.
(x) 2. *ad Timot.* 1. 6.
(y) *Auct. op. imperf. hom.* 43.

CAPUT SECUNDUM.

De Parochis.

1 QUAMVIS ea omnia, quæ hactenùs ſancita ſunt, non tàm populis inſtructio ad ſalutem, quàm Parochis monita ſint ad ſolertem paſtoralis officii adminiſtrationem; muneris tamen noſtri ratio non patitur, ut eos ſingillatim non alloquamur, qui in partem Epiſcopalis ſollicitudi-

tudinis aſſumpti, animas à Deo Nobis creditas, & pretioſo Chriſti Sanguine redemptas, ità in manibus ſuis habent, ut ſi ipſi ſtrenuè officii ſui partem impleverint, noſtra etiam ſtudia, & labores, quos pro illarum ſalute impendimus (Deo, qui ſupremus omnium Paſtor eſt, benedicente) inanes, & vacuos redire non timeamus. Presbyteri igitur in populo [z] Dei, ex quibus pendet anima illorum, recolant ſeriò artem artium, regimen animarum, ſummis difficultatibus eſſe diſtrictam, & maximum eſſe periculum [a] hominem de factis alterius rationem reddere, qui non ſufficit pro ſuis.

(z) Judith. 8. 21.

(a) S. Thom. in ep. ad Hebr. c. 13.

2 Ne temerè autem tanto ſe offerant diſcrimini, antequam poſſeſsionem Parœciæ ſibi commiſſæ adipiſcantur, Spiritualibus [b] Exercitiis in religioſa aliqua Domo à Nobis præſcribenda per decem continuos dies vacent; ibique ab omni terrenarum rerum aſpectu, & cogitatione ſegregati, Angelicis etiam humeris formidandum, quod ſubeunt, onus perpendant; & qua ſollicitudine, qua charitate gregem ipſis creditum dirigere oporteat, ſedulò recolant.

(b) Ex 5. Concil. Prov. Mediol. S. Carol. p. 3. c. 1. p. 2. cap. 1. n. 13. Syn. Car. de Aſte Dec. 19. de Parochis &c.

3 Ab antiquiore [c] interim Civitatis Curato practicè de proprii muneris exercitio, & præſertim Baptiſmi, & Extremæ Unctionis Sacramentis miniſtrandis, ac debitâ infirmis aſſiſtentia præſtanda, diligenter inſtruantur.

(c) Syn. Card. de Aſte hoc tit.

4 Cum denique ad reſidentiam pervenerint, non ad quietem, & otium miſſos ſe putent; quod

Digitized by Google

quod flebat olim Divus Bernardus ; curritur (d) namque paſſim (ait) ad eccleſiaſticas curas tanquam ſine curis, quiſque victurus tùm ſit, cùm perveneritad curas. Quinimò univerſo (e) gregi attendentes, in quo Spiritus Sanctus poſuit eos regere plebem Dei, in (f) omnibus laborent, ut miniſterium ſuum impleant. Exhibeant (g) ſemetipſos ſicut Dei Miniſtros in multa patientia, in tribulatíonibus, (h) in neceſſitatibus, in anguſtiis, in laboribus, in vigiliis, in Charitate non ficta, in verbo veritatis, per arma juſtitiæ à dextris, & à ſiniſtris; ut non (i) vituperetur Miniſterium eorum.

5 Parochi præſertim illi, quibus providè, attentâ plebium numeroſitate, Cappellanos addidimus, ſciant non ad fovendam eorum deſidiam, ſed ad populi neceſſitatibus conſulendum, hoc factum eſſe; quemcumque enim auctoritate noſtra probatum coadjutorem habeant, ipſimet (k) per ſe, tanquam Paſtores, & non mercenarii (niſi ſint legitimè impediti) Sacramenta ſuis parochianis aſſiduè miniſtrare debent, præſertim infirmis, quibus ab eis omnimodam aſſiſtentiam præſtari volumus, & omnia debitæ pietatis officia perſolvi.

6 Sacramentorum adminiſtrationi ità ſemper prompti ſint, ut (l) appareant etiam non quærentibus; ideoque feſtis, præcipuè, diebus per id temporis ſpatium, quod reliquis functionibus ſupereſt, in confeſſionali Sede expoſiti,

(d) *S. Bern. epiſt. ad Henric. Senon. poſt med.*

(e) *Act. 20. 28.*

(f) *1. ad Timoth. 4. 5.*

(g) *2. Cor. 6. 4.*

(h) *Ibidem 5. 6. 7.*

(i) *2. Cor. 6. 3.*

(k) *Conc. Later. c. 32. Cap. extirpandæ §. Qui verò de Præbend. cap. licet de elect. in 6. Trid. ſeſſ. 23. de refor. c. 1. Sac. Cong. Ep. in Tarent. 23. Februar. 1614 Joan. 10. 12*

(l) *Ad Rom. 10. 20. Iſaiæ 65. 1.*

patientiâ , charitate , longanimitate , fideles ſibi commiſſos ad pœnitentiam alliciant ; non paucos namque incurioſa diſpenſatorum otioſitas à Myſteriorum Dei participatione abdùcit, quos prompta eorumdem miniſtratio adhuc invìtos reduceret.

7 Sacras Eccleſię functiones per annum majori, qua poterunt, ſolemnitate celebrent. Veſperarum Officium feſtis diebus in ſuis quique Eccleſiis ſtatâ horâ decantent unà cum Sacerdotibus , & Clericis , eorumdem Eccleſiæ ſervitio adſcriptis . Laudabilem , & religioſam conſuetudinem recitandi in Eccleſiis per feſtos, ſeu certos alios dies, Roſarium Beatiſſimę Mariæ Virginis usù comprobent ; omnique cura pietatem, ac Dei cultum in populis, aut confirment, aut promoveant.

8 Eccleſiarum, & Altarium cultum, (m) ſacrarumque ſupellectilium nitórem, atque honeſtatem à ſe præcipuè requirendam meminerint; nec patiantur, Altaria , quæ habent Patronos prædicto cultu carére, ſed eoſdem (n) Patronos moneant, & ipſis non providentibus, ad Nos deferant . Sanctiſſimum præſertim Euchariſtiæ Sacramentum ſummo decòre, atque ornatu aſſervari curent, ut jam (o) præſcriptum eſt: reliquorumque Sacramentorum Materię omni cura , & munditie ſuis locis promptæ , & repentinis uſibus commodæ ſerventur.

9 Sacra Olea (p) ſingulis annis renoventur, vete-

(m) 3. *Conc. Lat. in append. tit. de alien. c. 2.*

(n) *Concil Trid. ſeſſ. 21. de ref. c. 7.*

(o) *Cap. de SS. Euchar. Sacr.*

(p) *Can. literis de conſec. diſ. 3. Can.*

veteribus per ignem conſumptis, & cineribus in ſacrario reconditis: quod fiet primis ſtatim diebus à novorum conſecratione. Ad ea autem quotannis in Cathedrali noſtra ſumenda laicos (q) nullatenus mittant, ſed Sacerdotes, aut maturæ ætatis Clericos, ſi fieri poteſt, in Sacris conſtitutos, qui tria vaſcula munda in capſula obſerata ad id deferent; & Sacra obtenta olea (r) nemini, niſi proprio, à quo miſſi fuerint, Parocho tradent, ſub pœnis arbitrio noſtro.

Siquis de alio diſ. 4. eod. tit. Rit. Ro. hoc tit. §. habeat, & in ordine miniſtrandi §. deinde. Sac. Rit. Cong. 7. Sept. 1601.

(q) *C. Presbyteri & c. omni tempore de conſec. diſ. 4*

(r) *cit. Can. Presbyteri 4. diſt. 95. & alio c. Presbyteri, & C. omni tempore diſ. 4.*

10 Quoniam ubi populus (s) Paſtoris ſui incuriâ ſpiritualem famem cœleſtis Doctrinæ patitur, ibi eſt omnis pietatis, & Religionis exterminium, Parochi fideliter exequantur Sacr. Trid. Concilii, (t) atque hujus Sanctæ Synodi præſcriptum in verbi Dei aſſidua prædicatione, fidei rudimentis tradendis, & germano præſertim Evangelii ſenſu explanando; nec frigidâ libri alicujus ex Altari lectione huic muneri ſatisfactum putent; fervida quippe, & ex corde, neceſſitatibus populi congrua, facere debent verba, ut, juxta monitum Apoſtoli, fructuosè arguant, (u) increpent, obſecrent in omni patientia, & doctrina. Negligentes, deprehenſi forſitan etiam à Nobis, qui ut in rè tanti momenti certi ſimus, concionibus hujuſmodi de repentè intereſſe quandoque curabimus, gravi pœna punientur.

(s) *S. Jo. Criſoſt. hom 45. in Geneſ.*

(t) *Trid. ſeſſ. 5. cap. 2. de Reform. & ſeſſ. 24. c. 4.*

(u) *2. ad Tim. 4. 2.*

11 Attentè perlegant, & exequantur quidquid in capite de Doctrina Chriſtiana ſtatuimus

Digitized by Google

ad erudiendum populum in Fidei rudimentis, de quo ſolliciti ſummoperè ſumus.

12 Peractis quolibet menſe ad præſcriptum in Synodo Eminentiſſimi de Comitibus, conferentiis (x) caſuum, Vicarii foranei ſingulorum Parochorum reſponſiones in ſcriptis ad Nos mittere teneantur, cum nota eorum, qui forſitan non interfuerunt; niſi fideliter hoc munus expleverint, graviter arbitrio noſtro punientur.

13 Ex pręcepto Sanctiſſimi Domini Noſtri in ultima Romana Synodo (y) in ſingulis Parochialibus, ſicut & in cæteris Eccleſiis, vel piis domibus Archivium erigatur, ſeu ſaltem conveniens in Sacriſtia armariolum ſerâ, & clave munitum, ad hunc dumtaxat uſum ſeligatur, ibique libri, ſcripturæ, inventaria, & publica inſtrumenta, continentia redditus, bona, privilegia, onera, conceſſiones, aliaque jura ad Eccleſiam quomodolibet ſpectantia diligentiſſimè, & diſtinctè cuſtodiantur; ſimiliter authentica Reliquiarum, & ſatisfactorum onerum documenta, Indulgentiarum diplomata, ac viſitationum decreta ibidem retineantur. Præcipuè verò Parochiales codices tùm antiqui, tùm recentes; nimirum (z) Baptizatorum, Confirmatorum, Matrimonia contrahentium, mortuorum, & ſtatus animarum, diligenti curâ aſſerventur. Quinimò graviſſima damna, quę ex pręfatorum codicum amiſſione exoriuntur, probè

(x) *Syn. Card. de Comit. tit. 28. de Sac. Script. lectione cap. 4. S. Cong. Conc. die 11. Julii 1620. S. Cong. in Ferrarien. 13. Octob. 1593. S. Carol. in Conc. Prov. 1. p. 2. Tit. de Vic. For.*

(y) *Conc. Rom. ſub Bened. XIII. tit. 13. c. 6.*

(z) *Trid. ſeſſ. 24. de refor. Matrim. c. 1. Rit. Rom. in form. ſcrib. in libris &c.*

Digitized by Google

bè conſiderantes, ut inpoſterum illorum conſervationi opportunis remediis proſpiciamus, ſtrictè jubemus, libros omnes parochiales, & quaſcumque alias ſcripturas ad Parochiam pertinentes, moriente Parocho, Succeſſori, seù Æconomo, interim ad curam animarum deputato, per hæredes defuncti (ſi forte apud ipſos remanſerint) intra terminum unius menſis conſignari ſub pœna Excommunicationis latæ ſententiæ nobis reſervatæ. Idemque ſub eadem omninò pœna præſtetur ab ipſiſmet Parochis Eccleſias reſignantibus, ſeu quomodolibet dimittentibus; immo ab iis omnibus, qui ad præſens ſcripta hujuſmodi ad Parochias ſpectantia penes ſe retinére audent, niſi infra menſem à Synodi publicatione, Parocho, cui debentur, reſtituant.

14 Inter præcipuas Parochi ſollicitudines, cura ſit Infirmorum, [a] qui à domeſticis ut plurimùm crudeli amore decepti, unicum æternæ ſalutis negotium agere ad ultimas vitæ periodos cum tanto animarum diſcrimine differunt, nullo itaque prætextu viſitationem negligant infirmorum, ſed ſtatim ac eis infirmitas innotuerit (quam pro paſtorali ergà oves affectu ſcire tenentur) etiam non vocati ad eos accedant; periculum attentè ſcrutentur; de Deo interim, de æterna vita opportunè loquentes, ut ad Sacramenta, quandocumque opus fuerit, ſuſcipienda ægrotantium animi diſponantur.

(a) *Rit. Rom. de Viſit. & cura Infirm. §. 1. 2. & 30.*

Om-

Omnes denique ſpiritualis medici partes eâ expleant ſedulitate, ut appareat, pluris à Sacerdote Chriſti, animæ ſalutem fieri, quàm à vigili medico corporis ſanitatem. Ea inſuper, quę in Cap. de Sacramentis in genere, & de extrema Unctione deſuper præſcripſimus adamuſſim ſervent; quod ſi in minimo defecerint, gravibus pœnis irremiſſibiliter punientur.

15 Si accerſitum Parochum in aliquo caſu repentino ad miniſtrandum Sacramenta infirmis, ac morti proximis, aliquâ de cauſa abeſſe compertum fuerit, liceat vicinioribus Parochis non tantum Confeſſionis, ſed & Viatici, ac Extremæ Unctionis Sacramenta ſic extremè laborantibus miniſtrare, citrà tamen proprii Parochi, ſuorumque jurium præjudicium.

16 Cum infirmos à Dięceſis Oppidis ad noſocomya tranſmitti contigerit, eos prius Parochi Sacramentis, quorum ſunt capaces, muniant; ſępe etenim aſperitate itineris ità vexantur, ut animam penè agentes ad hoſpitale perveniant, & in momento Sacramentis inexpiati decédant.

17 Maximum idem inconveniens in projectis infantibus ſæpe experti, quotieſcumque eos ad hoſpitale Sanctiſſimæ Annuntiationis tranſmittunt Parochi, modo debito baptizent, & de collato Baptiſmo authenticè Cappellanum hoſpitalis ejuſdem edoceant.

18 Ad ultimum erga oves ſuas publicum

Cha-

Charitatis officium, ſepeliendi ſcilicet defunctorum cadavera ut Paſtores, non ut mercenarii accurrant; vereantur ſpectante populo, & miſeris lugentibus derelictis viduis, & conſanguineis lucra funerum quæritare; aliaſque altercationes habere, quæ immiſericordem animum in præcipuo Miſericordiæ opere exercendo convincunt. Si quid verò pro tuendis Parœciæ juribus occurrat, opportuniori tempore ad Nos deferant; defunctorumque [b] cadavera cujuſvis conditionis ſint, clandeſtinè ad Eccleſiam deferre non audeant, quinimò ut fideles populi, dum orationum ſubſidio adjuvant animas tranſeuntium cadaverum, in iiſdem fœdè commutatis mortalium omnium caducitatem relegentes, finem univerſæ carnis jugiter agnoſcant, & practicè meditentur, quod [c] omnis caro fœnum, volumus omninò eadem Sacris exæquiarum cœremoniis ritè ſervatis, integrà ſaltem hora, poſt ortum Solis, & ante [d] ejuſdem occaſum publicè ad Eccleſiam deportari. Non intendimus autem hic de Eccleſia illa viciniore loqui, ad quam juxta ſynodalem cl. mem. Eminentiſſimi de Comitibus [e] diſpoſitionem, per modum tantùm depoſiti, ne longo tempore domi remaneant mortuorum corpora, privatè, & ad tempus transferri poſſunt, ut ab ea deinde, juxta ritum, funus incipiat. Tranſgreſſores Parochi, pœnà amiſſionis emolumentorum funeris, animæ defuncti ap-

(b) *Conc. Prov. Mediol. 6. part. 3. tit. quæ ad funera pertinent in fine.*

(c) *1. Petri 1. 24.*

(d) *Mediol. Conc. loco cit.*

(e) *Syn. Card. de Com. tit. 23. c. 3.*

applicandorum, & ejuſdem defuncti conſanguinei arbitraria, etiam carceris, punientur.

19 Cum aliquem Parochum in iis locis, in quibus tantùm unus reſidet, graviter ægrotare contigerit, qui vicinior (f) eſt, illum ſtatim inviſat; Sacramenta eidem opportunè miniſtret, ejuſque Parochiæ curam gerat, quouſque per Nos aliter proviſum fuerit; omnia demùm pietatis officia erga ipſum impendat, ac morientis animam religioſis precibus Deo commendet. Secuta autem illius morte Vicarius foraneus ſtatim accurrat, ut rerum Eccleſiæ inventarium coram duobus teſtibus conficiat; ſcripturas, ac res omnes, tàm Sacras, quàm profanas ad Eccleſiam ſpectantes in tuto ponat; quodſi Vicarius foraneus fuerit ipſemet Parochus defunctus, hæc omnia à viciniori Parocho peragantur. In primis verò de obitu Parochi certiores Nos reddat qui Parçciæ curam gerit, vel ſit vicinior Parochus, ut ſupra ad hoc deputatus donec aliter provideatur, vel ſit alius jam à Nobis ſpecialiter deſtinatus, ut idoneum Æconomum, qui onera vacantis Eccleſiæ ſuſtineat, quam primùm eligamus; donec prævio concurſu, ſive examine ad Concilii Tridentini præſcriptum, ſucceſſor renuntietur.

20 Plura hic de Parochorum reſidentia, celebratione Miſſarum, aliiſque ipſorum oneribus addenda forent, ni ſatis abundè à cl. mem. Prædeceſſoribus (g) noſtris Eminentiſſimis de Comi-

(f) 1. *Conc. Prov. S. Carol. p. 3. dec. 15. & 6. Prov. ejuſd. hoc tit.*

(g) *Syn. Card. de Com. & de Aſte hoc tit.*

mitibus & de Aſte per Synodicas leges ſub hoc titulo proviſum eſſet.

21 Supereſt ut Miniſterii ſui memores animarum Curatores in eo toti ſint, quod ab ipſis exigit Apoſtolus brevi illa, ſed gravi monitione, qui (h) præeſt in ſollicitudine; non ſtupidi itaque ſint, & inſenſibiles ad Dei offenſas, & animarum pericula; ſed in Spiritu (i) ardoris, & in omni ſollicitudine, velut ſtrenui (k) cœleſtis Militiæ excubitores diligenter inquirere non negligant, an in ſuis Parochiis publici degant peccatores, concubinarii, ſortilegi, uſurarii, blaſphèmi, adulteri, lenònes, morum corruptores, aliique hujuſmodi, quos omni induſtria, & diligentia, in Spiritu (l) primùm lenitatis, deinde in virgà (m) furoris Domini ad bonam frugem reducere conentur: foris (n) terribiliter perſonet increpatio, intus Charitatis teneatur dilectio, conſentire enim videtur erranti, qui ad reſecanda, quæ corrigi debent, non occurrit, & cum increpare delinquentes noluerit, procul dubio tacendo Paſtor occìdit. Quodſi nihil proficere compererint, ut ad ſeveriora remedia auctoritate noſtra deveniatur, rem ad Nos omninò deferant; intolerabile enim eſt, ſcandala ut plurimùm ſine ſcitu Epiſcopi impunita graſſari, quia Parochi dicere ea nolunt Eccleſiæ, & detrimentum ſtultè putant honoris, præcipuam proprii muneris obligationem.

(h) *Ad Rom.* 12. 8.

(i) *Iſaiæ* 4. 4.

(k) *Pontifical. Rom. de Ordine Subdiac.*

(l) *Ad Galat.* 6. 1

(m) *Iſaiæ* 10. 5.

(n) *S. Aug. ſer.* 18 *de verb. Dñ. cap. conſentire diſt.* 83 *cap. Epheſiis diſt.* 43.

22 Avaritiæ ſuſpicionem tanto muneri graviſſimè infeſtam ſatagant amolíri; cum lucra (o) animarum ſint theſauri Sacerdotum, qui non paſcunt, ut comedant, ſed comedunt, ut paſcant; neque enim ut divitiis affluant, vel conſanguineos locuplétent, tradidit (p) illis Deus regiones gentium, & labores populorum poſſident; ſed ut cuſtodiant (q) juſtificationes ejus, & legem ejus requirant. Fruſtrà autem, & ſine fructu legem Domini in populo requirent, ſi avaritiæ legibus obſtricti, quæ (r) ſua ſunt quærant, non quæ Jeſu Chriſti. Qui enim ovium ſuarum lac (s) comedunt, lanis operiuntur, & quod craſſum eſt, occìdunt (ex Prophetæ oraculo) gregem Domini non paſcunt. Meminerint ſe animam (t) pro ovibus ponere paratos eſſe debere, & qui lucris inhians, non dat ſubſtantiam (*) (ut D. ait Gregorius) quomodo daturus eſt animam? Paſcant igitur, qui in ipſis eſt gregem non (u) coactè, ſed ſpontaneè, ſecundum Deum; neque turpis lucri gratiâ, ſed voluntariè; neque dominantes in Cleris, ſed forma facti gregis ex animo; ut cum Princeps Paſtorum apparuerit, immarceſcibilem gloriæ Coronam percìpiant; & ad Vitam una cum grege eis credito perveniant ſempiternam.

(o) *S. Bern. in Evang. Ecce nos.*

(p) *Pſal. 104. 44.*

(q) *Pſal. 104. 45.*

(r) *Ad Philipp. 2. 20.*

(s) *Ezechiel. 34. 3*

(t) *Joan. 10. 11.*

(*) *S. Gregor.*

(u) *1. Petri 5. 2.*

CA-

CAPUT TERTIUM.
De Seminario Clericorum.

1 OPTIMA, ſolidior, & penè infallibilis Parochorum, cæterorumque Eccleſiæ Miniſtrorum inſtitutio, non in legum multiplicitate, ſed in opportuna adoleſcentium animorum educatione ſita eſt. Effræna ſiquidem mens hominum diſciplinam (x) cuſtodire renuit, niſi à teneris annis apprehenſam, ſibi connaturalem quodammodo fecerit: quo fit, ut ferè nullus in adulta ætate Sacerdos dignè Deo in Altari miniſtret, qui Nazaræus (y) Dei ab infantia ſua non fuerit; & ad ubera Eccleſiæ matris, clericalis diſciplinæ lacte nutrítus, primigenia ſibi Sacerdotalis vitæ ſemina non comparaverit. Hinc Apoſtolicæ Sedis (z), Sacroſancti Trid. Concilii, & Epiſcoporum omnium ſollicitudines pro erectione, & pervigili Seminariorum cultu, ut ad mundi illecebras propenſi adoleſcentes, ab omni malorum occaſione ſemóti in domo (a) Domini ac in atriis domus Dei noſtri, ſapientiâ (b) ætate, & gratiâ apud Deum, & homines proficiant; ad ſacros Ordines digniores, & capaciores reddantur; & non ſibimetipſis ſolùm, ſed Chriſtiano populo bonorum morum, ſcientiæ, & probatæ vitæ uberrimos afferant fructus. Ad noſtri igitur Seminarii Alumnos, quos ceù chario-

(x) *Prov.* 10. 17.

(y) *Judic.* 13. 5.

(z) *Trid. ſeſſ.* 23. *de reform. c.* 18. *S. Carol. in Inſtit. ad Semin. regimen pertinen p.* 1 *c.* 1. 2 9. *Inter act.* 1 *Ec. Mediol. p.* 5. *& p.* 3. *c.* 1.

(a) *Pſal.* 133. 1.

(b) *Lucæ* 2. 52.

riores in vinea Domini plantas excolimus, Sanctæ hujus Synodi cura vertatur; ut nitor, qui Deo dante, in eorum moribus, ſtudiis, & Eccleſiaſtica converſatione ad præſens effulget, ſtabilis perſevéret, & augeatur in dies.

2 Quoniam verò ex provido admittendorum delectu præcipuus Seminarii bonus ordo attendi debet; quicumque vel inter Alumnos, vel inter Convictores adſcríbi cupit, ſupplicem ad Nos libellum porrigat, in quo ætas, patria, & parentum nomina exponantur; ut de illius indole, morum innocentia, natalium honeſtate, cæteriſque à Tridentino requiſitis diligenter inſtrui valeamus; ſciantque (c) eos tantùm fore admittendos, qui ex legitimo matrimonio nati, legere ſaltem, & ſcribere competenter noverint, decimum tertium ætatis annum non excèdant, bonum proprii Parochi teſtimonium habeant, & certam ſpem prębeant eos Eccleſiaſticis miniſteriis (d) perpetuò inſervituros. Indoles quoque uniuſcujuſque, inſtituto examine, explorabitur, nè in craſſioribus, & nullius ſpei ingeniis erudiendis, opera, & impenſa depereat.

(c) *Trid. loco cit.*

(d) *Ad mentem Trid. loc. cit. S. Carol. in Inſtruct. Semin. p. 1. c. 3.*

3 Quicumque Diœceſanus gratis inter Seminarii Alumnos admiſſus fuerit, obligetur in forma valida, cum idonea fidejuſſione parentum, ſeu conſanguineorum, vel aliorum; ſi quando ad ſæcularia vota tranſierit, ſumptus pro perceptis alimentis in Seminario, eidem re-

reſtituere, quos ad effectum reſtitutionis hujuſmodi ex nunc taxamus in ſcutis quindecim, quolibet anno; idque in obligatione facienda, & fidejuſſione præſtanda ſpecificetur.

4 Tàm Alumnis, quàm Convictoribus non impetratâ à Nobis facultate, extra (c) Seminarii ſepta pernoctare non liceat; & dum alicui concedetur licentia accedendi ad proprias domos, ſi is præſcripto non revertatur tempore, in Seminarium admitti amplius non poſſit, niſi Nobis conſultis.

(c) Ex cit. Inſtit. S. Caroli c. 5. § à Clerici & p. 3. c. 7. §. ea tantum

5 Tempore baccanalium inhibèmus omninò Alumnis, & Convictoribus reditum ad proprias domus; nè commixti (*) inter gentes diſcant opera eorum, & fiat ipſis in ſcandalum. Theatrum idcircò in Seminario extruximus, quo & honeſtæ eorumdem recreationi, & neceſſariæ animorum exercitationi conſuleremus. In eo autem heroica Sanctorum geſta repræſentari volumus, ut dum ſenſus oblectantur, animæ ad virtutem ſine ſenſu formentur; & Eccleſiæ, cui nomen dederunt, morem ſectando, aſſueſcant pueri, tunc maximè ſuper (f) aurum & topazion diligere mandata Domini, cum tempus faciendi, diſſipant homines legem ejus.

(*) Pſal. 105. 35.

(f) Pſal. 118. 126 & ſeq.

6 In feriis autumnalibus, ſi quando rationabili de cauſa ad propriam domum aliquem remeare permittimus, is (g) non revertatur ſine teſtimonialibus Parochi, in cujus Paræcia moratus eſt; quibus doceamur ſe honeſtè in omnibus

(g) Ex cit. Inſt. S. Caroli cap. 7. §. cum aliqua.

bus

bus geſſiſſe; ſtatutis pro Seminario diebus, Pœnitentiæ & Euchariſtiæ Sacramentis refectum fuiſſe; feſtis verò Eccleſiæ inſerviſſe, quæ in Civitate Cathedralis eſſe debet; fideique rudimenta vel docuiſſe, vel ſaltèm eorum explanationi interfuiſſe; & omninò ad primas Feſtivitatis Omnium Sanctorum veſperas redeat, aliàs à Seminario expelletur.

7 Raròadhuc infrà annum propriam domum adeundi, in Seminario degentibus facultas concedatur; ſi cui tamen conceſſa fuerit, caveat idem aliò divertere ſine expreſſa licentia; & ad occaſum ſolis aſſociatus ad Seminarium redeat.

8 Nemini interiores Seminarii ædes intrare, nec cum Alumnis, aut Convictoribus, niſi ad fores earumdem, colloqui liceat; debitâ tamen prius obtenta licentia, quæ nunquam concedatur poſt vigeſimam quartam diei horam.

9 Fœminis nunquam, nec ullo ſub prætextu etiam ſervitii præſtandi, aut tranſitum faciendi de ſuperiori janua ad inferiorem, ingreſſus in Seminarium permittatur, ſub pœna excommunicationis, vel aliis arbitrio noſtro.

10 Præter literaria, quibus toti incumbere debent, exercitia, tempus (h) habeant Alumni Gregoriano cantui, & ſacris cœremoniis addiſcendis præfinitum.

(h) *Trid. loc. cit.*

11 A prandio, & à cœnâ præfinitam habeant horam ad honeſtam animi relaxationem; cui

cui tamen poſt cœnam vacabunt ſub Præfecti aſſiſtentia, omnes inſimul in eodem cubiculo congregati.

12 Cum è Seminario egrediuntur, Chriſtianam, & Clericalem modeſtiam præſeferant, ſimul omnes, & bini incédant. Nunquam è conſpectu Præfecti illos comitantis, abeant. Extraneum neminem ad (i) conſortium, aut ad colludendum admittant, nec alloquantur ſine ejuſdem Præfecti licentia.

13 Alumni, Eccleſiæ noſtræ Cathedrali ſpecialiter addicti, Dominicis, feſtiſque diebus à Matutini, & Veſperarum initio, uſque ad Completorii finem à Choro, & Eccleſiaſtico ſervitio non recedant: quo tempore abſtineant (l) ab omni inter ſe, vel cum aliis colloquio; ſed quilibet ipſorum actus modeſtiam redoleat, ac religioſam devotionem; ſacriſque attendant cæremoniis, ut in iis, præ cæteris Clericis erudiantur. In ſolemnibus officiis, quibus Nos intereſſe ſolemus, unus ex ipſis inter Miſſarum ſolemnia, Homiliam coram Nobis latino idiomate recitet; & ubicumque Pontificalia Nos exercére contigerit, omnes, qua par eſt, ſedulitate inſervìre non negligant.

14 Singulis diebus tàm Alumni, quàm Convictores, Miſſæ Sacrificio interſint; bis in menſe ſua peccata confiteantur, & Sacram Synaxim ſumant; pietatem colant; devotionem, ac modeſtiam, tùm domi, tùm extrà ſervent; ſilen-

(i) *Conc. Aurelian. 2. can. 9. Car. Paleottus p. 5. de bon. Eccl. admi. cap. 6. S. Carol p. 5. act. in Inſtit. Semi. p. 1.*

(l) *Ex cit. Inſtit. p. 3. c. 3.*

ſilentium exactè cuſtodiant; ſtatis horis quotidie in Sacellum, ſeu Oratorium ad officium Beatiſſimæ Mariæ Virginis recitandum conveniant; peculiares amicitias, affectus partialitatem redolentes, vitent; ſed in charitate (m) fraternitatis ſe invicem diligant. Nitórem, & munditiam ſedulò curent, tùm in veſtibus, tum in cubiculo. Extra conſuetas horas non comedant, nullumque à conſanguineis cibarii genus, ſine licentia, recipiant.

(m) *Ad Roman.* 12. 10.

15 Fidei rudimentis ex Doctrina Chriſtiana piæ me. Card. Bellarmini potiſſimum deſumptis, tum ſæpè aliàs, tùm certâ per ſingulas hebdomadas, huic uni exercitio attributâ die, imbuantur.

16 In cæteris regulas omninò ſervent, quas ad plenam eorumdem inſtitutionem ſtatuimus, & in Appendice Synodi apponimus; ut omnes Seminarii noſtri adoleſcentium actus in beneplacito (n) Dei dirigantur, & in nomine dilecti Filii ejus mereantur bonis operibus abundare.

In Appendice.

(n) *Eccl. in Orat.*

17 In timore Domini, qui initium (o) ſapientiæ eſt, aſſidue proficientes, ſtudiis impigro animo incumbant; memores ſe ad aliorum inſtructionem erudìri, atque educàri; diligenter idcircò addiſcant ea, quæ alios dein de idoneo tempore edocère poſſint; ne ſi ſcentiam ipſi repulerint, (p) repellat eos Dominus, ne Sacerdotio fungantur ſibi.

(o) *Pſ.* 110. 10.

(p) *Oſeæ* 4. 6.

18 Nos

18 Nos interim de ſingulorum in ſtudiis progreſſu ſolliciti, quo etiam iiſdem præmia decernere, & elargìri poſſimus, non tantùm quolibet menſe de Nota, qua meruerint in ſcholis deſcrìbi, certiorari curabimus; ſed inſuper in fine anni exactum deſuper examen coram Nobis ſubeundum inſtituemus.

19 Seminarii Æconomus ſingulis annis, ſuæ adminiſtrationis rationem reddere teneatur, juxta preſcriptum à Tridentino, (q) cujus decreta in iis maximè, quæ Seminarium reſpiciunt, unicam veluti legem in nupera Romana Synodo (r) Sanctiſſimus Dominus Noſter inviolabiliter ſervari jubet, & Nos adamuſſim executioni mandari volumus, tàm à Miniſtris, quàm à Canonicis per idem Trid. Seminario deputatis; ut ſub tutiſſimo tantarum legum præſidio, electi Diœceſis noſtrę Clerici jugum Evangelicæ, (s) & Eccleſiaſticæ Diſciplinæ portantes ab adoleſcentia ſua, ſanctis Altaribus Domini Miniſtri idonei efficiantur, & in meſſem (t) multam immittendos operarios non paucos inpoſterùm habere lætemur.

(q) *Trid. loc. cit.*

(r) *Concil. Rom. ſub Bened. XIII. tit. 30. c. 1.*

(s) *Jerem. Thren. 3. 27.*

(t) *Math. 9. 37.*

CAPUT QUARTUM.

De Monialibus.

(u) *Eccl. in hym. Virg.*
(x) *Cantic. 4. 12.*
(y) *Ibidem 1. 6.*
(z) *S. Cyprian. de diſcipl. & hab t. Virgin.*
(a) *Eccl. 24. 23.*
(b) *S. Cyprian. loc. cit.*
(c) *Joan. 10. 27.*
(d) *Apocal. 14 4.*
(e) *S. Cyprian. loco cit.*

1 QUi pergit (u) inter lilia ſeptus choreis Virginum, Chriſtus Jeſus, (x) hortos concluſos in Eccleſia ſua ſibi delègit, ubi paſcat, (y) ubi cubet in meridie, in luce ſcilicet religioſi fulgòris, perfectoque virtutum die, qui nitidior in ſacris Monialium gynecæis, illibatæ Virginitatis candori junctus, effulget. Horum cuſtodiæ excubitores poſuit Epiſcopos, ut flores (z) Eccleſiaſtici germinis impenetrabili ſepe circumdati, aſſiduo ſacerdotalis miniſterii cultu fructus (a) ſint honoris, & honeſtatis, & fructificent ſuavitatem odoris. Arduum ſanè opus, quod animum noſtrum non leviter angeret, niſi docilis Sanctimonialium noſtrarum religioſiſſima indoles, ſpectataque earumdem obſervantia difficultatem minueret, & ſuave redderet onus; verè etenim illuſtrior (b) portio gregis Chriſti vocem (c) ejus audiunt, & ſeqùntur Agnum, (d) quòcumque ierit. Ad has loquimur, (e) has adhortamur, non quod extremi, & minimi, & humilitatis noſtræ admodum conſcii, aliquid ad cenſuram licentiæ vindicemus; ſed quod ad ſollicitudinem magis cauti, plus de diaboli infeſtatione timeamus.

2 Me-

2 Meminerint igitur ſe (f) veterem hominem cum actibus ſuis ſpoliaſſe, & novum, qui ſecundùm Deum creatus eſt, induiſſe; veſtis (g) propterea, exteriorque Sacræ Virginis cultus, & converſatio talis ſit, quę teſtis intimæ Caſtitatis, & humilitatis appareat. Caput, ſeu capillos, quos ad Sponſi pedes olim projecit, non nutriat. Talem denique ſe compònat, qualem religioſæ ſimplicitatis ornatam (h) monilibus Dominus concupiſcat, omnis (i) enim gloria ejus filiæ Regis ab intus.

(f) *Ad Coloſſ. 3. 9.*

(g) *Clement. Attendentes de ſtatu Monachorum. Sac. Cong. Ep. in Neap. 13. April. 1582. & Mediol. 26. Novembris 1619. Conc. Mediol. 1. p. 3. Tit. de Clauſ.*

(h) *Iſaiæ 61. 10. Pſal. 44. 12.*

(i) *Pſal. 44. 14.*

3 Sæculares etiam puellæ, quæ ad optimam animi educationem in Aſceteriis degunt, veſtibus, ornatuque modeſto utantur, ad præſcriptum in Romana, Sanctiſſimi Domini Noſtri feliciter Regnantis, Synodo, (l) cujus verba hic referre juvat, ut omninò ſerventur — „ ſtudeant, & quàm accuratiſſimè Moniales „ ipſæ, ut quas Superiorum accedente conſenſu, & impetratâ ab Epiſcoporum, & Regularium Congregatione licentiâ educandas, „ & formandas ſuſceperint puellas convictrices, piè illas, & catholicè inſtituant; incumbantque, ne ipſarum ornatus, & veſtes, „ puellis inter Chriſti Sponſas verſantibus, diſconveniant.

(l) *Conc. Rom. cit. tit. 21. c. 4. Synod. Card. de Aſte Decret. 35. de Monial.*

„ Sint itaque non ſericæ, nec alius quàm „ nigri, aut fuſci, vel albi, aut violacei coloris; nulloque illæ exquisìto, quod ſacris non „ conveniat Aſceteriis, ornamenti genere

 utan-

„ utantur. In reliquis & puellæ ipſæ ab Aſce-
„ terio aliàs dimittendæ, obſervent, & Abba-
„ tiſſæ, vel Prioriſſæ, Superioreſve aliæ, quo-
„ cumque nomine vocentur, quæ eadem Con-
„ gregatio in conceſſa licentia præſcripſerit,
„ faciant adimpleri.

4 Saluberrimam à Monialibus noſtris hucuſque ſervatam praxim vacandi (m) quotannis ſpiritualibus exercitiis, ſtabili lege firmamus; ut crebrò ſpiritu (n) mentis renovatæ, alacriores in via perfectionis reddantur; & tanquam (o) prudentes Virgines ornent lampades ſuas, paratæ occurrere (p) Cœleſti Sponſo, quando revertatur à nuptiis.

(m) *Ex lit. circul. S. Cong. Ep. & Regul. de mandato Innoc. XI. 9. Octobris 1682.*
(n) *Ad Epheſ.* 4. 23.
(o) *Math.* 25. 7.
(p) *Lucæ* 12. 36.

5 Novitiæ (q) autem tùm in habitu ſuſcipiendo, tùm in Religione profitenda, ut vitæ, cui ſe ſanctè obſtringunt, rationem diligentiùs perpendant, & puriori mente, ferventiorique animo ad rem tanti momenti accedant, prius in eiſdem decemdialibus exercitationibus, qua par eſt, ſedulitate verſentur.

(q) *Ex liter. præcit. de mandato Innoc. XI.*

6 Quæ ad Clauſuræ cuſtodiam (r) pertinent, adeò nota ſunt, & clarè perſpecta, tàm in Apoſtolicis Conſtitutionibus, quàm in Synodalibus Prædeceſſorum noſtrorum decretis, ut in iis immorari ſuperfluum ſit. Illud unum cautum hic omninò volumus, ingreſſos de noſtra licentia in Monaſterium viros nunquam præſentiâ, & aſſiſtentiâ duarum Monialium, ex Antianis, per Abbatiſſam deputandarum, deſtitui

(r) *Cap. unico ſin. de ſtatu Regul. in 6. Conc. Trid. ſeſſ. 25. de Regul. c. 5. Bulla 4. S. Pii V. Circa Paſtoralis, & Bulla ſeq. Decori. Bulla 28. Greg. XIII. Ubi gratiæ.*

ſtitui debere, ſub pœna privationis vocis activæ, & paſſivæ iis infligenda, quæ ad hujuſmodi aſſiſtentiam deputatæ ſuo muneri defecerint. Quod ſi longi temporis ſit opus, ad quod ingreſſus virorum permiſſus fuit, Abbatiſſa pro ſua prudentia plures eligat provectas Moniales, quarum una alteri in injuncto officio ſuccedat.

7 Nemo (s) ſive Clericus, ſive Laicus cujuſcumque ſtatus, gradus, & conditionis ſit, accedere audeat ad colloquendum cum Monialibus, aut aliis in Monaſterio, quamvis Regularibus ſubjecto degentibus, ſibi in primo, vel ſecundo conſanguinitatis, ſeu affinitatis gradu non conjunctis, ſine expreſſa noſtra, vel Vicarii noſtri generalis ſcripta licentia; quam Abbatiſſæ, ſeu Prioriſſæ exhibere teneatur ſub pœna carceris, aliiſque gravioribus arbitrio noſtro, quibus irremiſſibiliter procedemus. Imò ſi opus fuerit, Eccleſiaſticis etiam cenſuris, quibus in rè tanta, (t) tùm alibi, tùm etiam in hac noſtra Diœceſi olim cautum fuit, inobedientes puniėmus. Declarantes inſuper iiſdem pœnis obnoxios fore, qui obtentà licentia aliquam prædictarum alloquendi, datâ operâ, & ex profeſſo, cum aliis colloqui audent. Diſtrictam de his omnibus rationem Nobis reddere teneantur Abbatiſſæ, ſeu Prioriſſæ, quibus accuratam deſuper vigilantiam in virtute ſanctæ Obedientiæ præcipimus; ab eis namque om-

(s) *C. Monaſteria de vita & honeſt. Cler. Syn. Emi de Comit. hoc tit. c. 2. Syn. Card. de Aſte l. cit. S. Cong. penes Nicol. in floſc. verbo Monialis n. 28. Conc. Hiſpal. 1.619. Can. 2. relat. in Can. in Decima 18. qu. 2.*

(t) *Syn. Card. de Com. loc. cit. Syn. Prov. Neap. c. 54. 6 Syn. Card. Philom a. 1658. ad 11. 1. Syn. Card. Caracc. a. 1669. hoc tit.*

omnes, quotquot in Monaſterio ad crates, etiam ut conſanguineos alloquantur, deſcendere cupiunt, veniam petere omninò debent, ſub pœnis arbitrio noſtro. Licentias colloquendi cum exteris, ipſis, ut diximus, exhibendas ſedulò inſpiciant; & ſi ad plures vices conceſſas repererint, quotieſcumque eis uti contigerit, propria manu ſubſignent, ut de fideli earumdem uſu certæ ſint.

8 Nemo, etiam obtentâ dictâ licentiâ, ad ullas [u] Monaſterii fores, vel uſquam alibi, quàm in collocutoriis, & ad crates, vel rotas, Moniales, vel alias in gynecæis commorantes, alloqui præſumat, ſub iiſdem pœnis; diſtrictè enim ſub pœna privationis officii, ac vocis activæ, & paſſivæ Abbatiſſis, & aliis januarum cuſtodibus inhibemus, eaſdem ſine noſtrâ in ſcriptis licentiâ ad hujuſmodi collocutiones aperire, niſi honeſtis Mulieribus in primo, & ſecundo tantùm conſanguinitatis, vel affinitatis gradu cum Moniali, vel educanda coniunctis; dummodo aliæ Moniales procul abſint, & vir ullus ad januam cum exteris prædictis fœminis non adſtet; quod etiam ad modicum tempus, & rarò fieri peroptamus.

(u) *S. Cong. Ep. & Reg. in Neap. 21. Aprilis 1593. & in Bonon. 20. Januarii 1603.*

9 Fores autem, quæ lignis, aliiſque Monaſterio neceſſariis rebus invehendis ſunt deſtinatæ, nunquam omninò ad alium uſum, multòque minus ad colloquendum aperiantur; quandocumque autem ex præciſa neceſſitate eas aperiri

riri contigerit, protinus claudantur; nec inibi tunc aliæ Moniales, quàm Abbatiſſa, & Officiales ad id deputatæ interſint, ſub pœna privationis Officiorum, & inhabilitatis ad eadem, ab illis incurrendę, quæ abſque præciſa neceſſitate in eiſdem foribus cum ſupra expreſſis adeſſe præſumpſerint.

10 Regulares (x) omnes, quibus ſub graviſſimis pœnis à Summis Pontificibus, & Sacræ Congregationis toties repetitis decretis, Moniales, aliaſque in Aſceteriis etiam proprio Ordini ſubjectis degentes, vel per modicum temporis ſpatium alloqui vetitum eſt, ſine expreſſa Sacræ ejuſdem Congregationis, & Ordinarii licentia, ſciant irremiſſibiliter pœnas inflictas, aliaſque arbitrio noſtro ſe daturos, ſi in minima deſuper tranſgreſſione deprehenſi, aut per legitimos Teſtes convicti fuerint. Nec ullis ſpeculationibus, ſeu potius vanis cavillationibus gravem obtentare inobedientiam præſumant, quo magis rei apud Sedem Apoſtolicam, & Nos fient.

(x) *Ex Decr. S. Cong. Ep. & Reg. de anno 1590 juſſu Sixti V. edito, & dec. 1623. 12. Kal. Decemb., ex orac. Urb. VIII. & die 11. Maji 1669. Syn. Card. de Comit. hoc tit. cap. 2. S. Congreg. Conc. de mandato Clem. IX. die 7. Iunii 1669. & alia ejuſdem Dec. declar. per eamdem Sac. Cong. 2. Maji 1678.*

11 Cum dedeceat locum deſtinatum pro paſcendis Monialibus Sacrâ Euchariſtiâ, ad alium uſum adhiberi; prohibemus aliquid extrahi ex (y) Communicatoriis, etiam pro ſervitio Eccleſiæ, ac proinde, excepto Communionis tempore, eadem ſemper clauſa remaneant.

(y) *S. Cong. Ep. & Reg. in Bonon. 15. Decemb 1617 & in Neapol. a. 1592. 12. Jul. Alex VII in Conſt. Sacroſancti Apoſtolatus 10. Febr. 1657. pro Urbe §. 7.*

12 Ut etiam reverentia debita Eccleſiis ſarta

ta tecta ſit, nemo, etſi facultatem habeat alloquendi Moniales, Educandas, aut alias in Monaſterio commorantes, alloquatur eas [z] à cratibus Eccleſiæ, à Communicatoriis, Confeſſionalibus, aut Rotis in Eccleſia poſitis, ſub pœnis arbitrio noſtro-Cappellani tamen, Clerici, aut factores, quibus ad prædicta loca alloqui neceſſe fuerit, id ſolùm poterunt, quo tempore Miſſæ celebrantur; ſive etiam per diem, occaſione alicujus ſolemnitatis, breviter tamen, & de iis tantùm rebus, quæ ad ipſorum munus, & Eccleſiæ ſervitium ſpectant.

(z) S. Cong. Ep. & Reg. in Neap. 21. Aprilis 1593. & in Bonon. 28. Jan. 1603.

13 Ut immanis eorum temeritas coerceatur, qui innocentes Chriſti Virgines [a] peſtifero afflatu inficere forſitan non verentur, excommunicationis ſententiam Nobis reſervatam ipſo facto incurrant, qui cum aliqua Moniali ſive Profeſſa ſit, ſive Novitia, aut etiam educanda puella, vel coram ipſis, de rebus obſcænis per verba, aut actus (quod abſit) impudicos, præſentes, abſentes verò per litteras, aut internuntios agere auſi fuerint.

(a) S. Cyprian. Ep. ad Pomponium de Virgin. relat. in Can. nec aliqua 27. q. 1.

14 Confeſſarii deputati ad audiendas confeſſiones Monialium, quibus in conſuetis literis patentalibus conceditur facultas ingrediendi clauſuras in urgenti neceſſitate miniſtrandi Sacramenta Pœnitentiæ, Euchariſtiæ, & Extremæ Unctionis, necnon morientibus opitulandi, aſſocientur [b] à duabus Monialibus ex ſenioribus Monaſterii; rectâque, & breviori via con-

(b) Ex lit. circul. S. Cong. Epiſc. & Reg. de mandato

conferant ſe ad cellam infirmæ; nec per aliam partem clauſuræ vagentur, ſive in ingreſſu, ſive in egreſſu. Confeſſiones verò ita excipiant, (c) ut apertis januis Comitatrices eædem, ſeu aliæ vidère quidem, non autem audire poſſint. Si ſecus fiat, non Confeſſarii tantùm, ſed & Abbatiſſæ, quibus ſpecialem deſuper curam demandamus, debitas dabunt pœnas.

Inn. XI. 21. Martii 1682. Alex. VII. Conſtit. Sac. Virg. 6. in Ord. Bullar. 153.

(c) *Ep. circul. S. Cong. Ep. ad Ordinarios data 21. Martii 1682.*

15 Quicumque ad excipiendas confeſſiones Monialium, vel aliarum in Monaſteriis degentium, etiam pro unica vice, vel pro aliqua particulari, approbati fuerint, nunquam eas excipiant ante ortum Solis, nec poſt ejuſdem occaſum, ſub gravibus arbitrio noſtro pœnis; nec cenſeantur approbati ad prædictarum confeſſiones audiendas, eaſque validè abſolvendas à cratibus, collocutoriis, rotis, Communicatoriis, aut intra ſepta monaſterii, excepto caſu infirmitatis, ut ſupra, aut in alio quovis loco, præterquam in Confeſſionalibus in exteriori Eccleſia conſtitutis, niſi expreſſa de hoc à Nobis mentio fiat.

16 Extraordinariis Confeſſariis, quos ad præſcriptum Sacroſancti Conc. Trid. (d) bis, aut ter in anno monaſteriis concedere non omittemus, religioſiſſimæ Moniales noſtræ contentæ ſint; alios ſiquidem, ad majorem in virtute profectum, Directores quærere, præter eos, quos in Domino confiſi, & non niſi maturâ prævia deliberatione, Sacrificiis, & enixis

(d) *Trid. ſeſſ. 25. de regul. c. 10.*

R pre-

precibus à Deo, qui indignos etiam animarum Paſtores non deſerit, expoſcentes eligimus, ſuperflua certè anxietas eſt, & inanis ſollicitudo. Peculiares idcircò facultates excipiendi confeſſiones Monialis alicujus, vel alterius in Monaſterio degentis, ſi quæ fuerint jam conceſſæ, & nondum expiratæ, revocamus, & nullius roboris eſſe volumus. Non per hoc tamen ſpem omnem Monialibus auferre intendimus obtinendi inpoſterum facultates hujuſmodi, quas prout in Domino expedire cenſebimus, concedémus, iis præſertim, quæ propriam abnegantes voluntatem, indeterminatè Confeſſarium, à Nobis Dei afflatu eligendum, poſtulabunt.

17 Puellæ, quæ educationis gratiâ in Sacris degunt Aſceteriis, per Magiſtram, vel aliam ab Abbatiſſa eligendam, in rudimentis fidei, juxta methodum à claræ mem. Cardinali Bellarmino in aureo libro, cui titulus *Dottrina Chriſtiana &c.* ſervatam, qua par eſt, ſedulitate erudiantur; ne inter Chriſti Sponſas converſantes Chriſtum [c] neſciant; & Sanctorum Scientiam, qua in propriis domibus pollérent, in Domo Domini, & in atriis Domus Dei noſtri non inveniant. Bis itaque in hebdomada congregatis inſimul iiſdem puellis, præcipua Fidei noſtræ Myſteria explicentur; Sacramentorum ſublímitas, eorumque Virtutes, & effectus enucleentur; diſpoſitiones ad tantam gra-

(c) 1. *Cor.* 2. 2.

gratiam ſuſcipiendam neceſſariæ, ſincerus præſertim in Sacramento Pœnitentiæ, cordis dolor, firmumque de cætero non peccandi propoſitum inculcetur; in Fidei, Spei, & Charitatis actibus ſingulæ exerceantur; omnibus denique Chriſtianæ Religionis principiis enutritę, ad pietatem, modeſtiam, cæteraſque Virtutes in Templo Domini creſcant, & earum educatio ſit multorum inſtructio. Idem omninò fiat pro Monaſterii famulabus, quæ (f) ſollicitæ turbantur circa plurima, & unum, quod eſt neceſſarium ſæpe ſæpius negligere non metuunt; ad ipſas quoque erudiendas Monialis deputetur ab Abbatiſſa, & feſtis ſaltem diebus, quæ in propria quæque Parochia, ſi in ſæculo degeret, audiret, audiat in ſchola Chriſti, & in Sanctuario Virginum Domini.

(f) *Lucæ* 10.41.

18 Ubi aliqua vel educanda, vel famula matrimonium contrahere decreverit, antequam ſponſalia celebrentur, à ſuis domum reducatur; & interim donec permanſerit in monaſterio, colloqui non audeat cum futuro ſponſo, vel cum alio, ſeu alia ejus nomine ad Monaſterium veniente, ſub pœna Præfectæ, & Abbatiſſæ privationis Officii; puellæ verò, ſeu famulæ, excommunicationis.

19 Quæcumque Sacra incolunt gynecęa, ſi baccanalium tempore relaxandi animi cauſa, ementitum aliquandò habitum, honeſtum tamen, induerint, caveant ne ſic indutæ ad cratem,

Digitized by Google

ad januam nec aliò appareant, ubi ab exteris, etiam conſanguineis, videantur, ſub gravibus pœnis arbitrio noſtro.

20 Sanctiſſimas, quas profitentur, regulas Moniales omnes frequenter oculis, ac mente inſpiciant, & ſalutifera ipſarum monita non recédant (g) ab ore, non recédant à corde. Quę Deo (h) in ſolemni profeſſione vovérunt, fideliter reddant; paupertatem (i) in omnibus ſervent; nec minimum quid habeant, quod ut proprium reſpiciant. Nunquam à Choro, tempore Divinorum Officiorum, ſine urgenti neceſſitate, & tunc cum Abbatiſſæ, ſeu Prioriſſæ licentia, abſint; nefas enim eſt Dei Sponſas, dum Dilecto (l) canticum vineæ ſuę canitur, ad Mundi nænias in collocutoriis divertere; aut alibi tunc otiari, cum inter filias (m) carminum laudare (n) Nomen Dei cum cantico debent, & magnificare eum in laude; Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, quod panis (o) eſt Electorum, & vinum germinans Virgines, perſæpe reficiantur; nec unquam præſcriptis à regula diebus à tantorum Myſteriorum participatione quovis ſub prætextu ſecédant; quodſi notabiliter in hoc aliqua deficiat, Abbatiſſa, ſeu Prioriſſa certiores Nos reddere teneatur.

21 Orationi ſedulò incumbant, & quæ Domini (p) ſunt, quomodo placeant Deo, cogitent; ità enim in odorem (q) ſuavitatis ejus currentes, & ſexum, ac ſęculum auſu validiore vincentes

(g) *S. Bern. hom. ſuper Miſſus eſt.*
(h) *Extravag. de verborum ſignif. c. 1. in fine.*
(i) *Trid. ſeſſ. 25. cit. cap. 2. c. cum Paulus 1. qu. 1.*
(l) *Iſaiæ 5. 1.*
(m) *Eccleſiaſt. 12. 4.*
(n) *Pſal. 68. 31.*
(o) *Zachar. c. 9. 17. Trid. ſeſſ. 25. cit. c. 10.*
(p) *1. Cor. 7. 32.*
(q) *Cantic. 1. 3.*

centes, ſpectabilem victoriam ab antiqui hoſtis feritate reportabunt; & innixæ ſuper Dilectum [r] ſuum aſcendent de deſerto, Divinorum charíſmatum, & Sanctitatis deliciis affluentes; quod ut certiùs aſſequantur, ſub ſpeciali Beatiſſimæ, ſemperque Virginis Mariæ patrocinio in hac Sancta Synodo ſolemniter ad ipſius Sanctiſſimi Nominis honorem congregata, conſtituimus; eam ſicuti primam religioſæ, & virginalis, quam profitentur, obſervantiæ Inſtitutricem colunt, ita ſupremam ſibi adſciſcant Patronam; Reginam Virginum, Sacræ Virgines ſequantur; & ut impetrent [s] protectionis ejus ſuffragium, nunquam deſerant converſationis exemplum.

(r) *Cantic.* 8. 5.

(s) *S. Bernard. homil. ſuper Miſſus eſt.*

22 Quoad æconomicum Monaſteriorum gubernium, nulla in primis hæreditas, nullum legatum, aut donum cum onere aliquo, Monaſterio, vel alicui particulari Moniali relictum, vel factum, acceptetur, niſi obtentâ à Nobis prius expreſſa licentia. Cenſus ad favorem Monaſterii creare abſque approbatione noſtra, non liceat. In Syndicos Monaſterii eligantur Perſonæ idoneæ, provectæ ętatis, probatæque vitæ; inter quos Cathedralis noſtræ Canonicum à Nobis unicuique Monaſterio ad hoc deputandum adeſſe volumus, qui inſimul curent munus hujuſmodi eâ, quâ decet, charitate, ac diligentiâ exercére; inſtrumentis, & contractibus omnibus Monaſterii fideliter interſint,

Digitized by Google

terſint, inque ejus utilitatem pro viribus adlaborent, viſitando præſertim vel per ſe, vel per alios, ſingulis annis bona ruralia Monaſteriorum; diligenterque inveſtigando, qua fidelitate, quove labore ruſtici deſerviant; eximia tam pii, ac religioſi operis præmia à Chriſto Domino Sacrarum Virginum Sponſo, haud dubiè reportaturi.

CAPUT QUINTUM.

De Conſervatorio Sancti Laurentii, & Tertiariis.

1 QUÆ ad elegantem Sanctimonialium inſtitutionem decrevimus, ad eas proportionaliter extendere intendimus Oblatas Virgines, quæ licet abſque voto clauſuræ, collegialiter tamen, ac religioſè degunt ad inſtar Monialium in Conſervatorio Sancti Laurentii hujus noſtræ Civitatis; nec non ad puellas, & alias, quæ inibi in timore Domini educantur. Ut igitur pia hęc Domus eò (t) fælicius regatur, ac ibi degentes puriùs, & ſinceriùs ſervire Domino in fervore ſpiritus valeant, ſequentia ſtatuimus.

(t) *Ad Clement. Attendentes de ſtatu Monach.*

2 Nemo ſive vir, ſive mulier etiam quovis gradu conjunctus alicui ex prædictis oblatis puellis, audeat ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, Nobis reſervatæ, in idem Conſer-

Digitized by Google

ſervatorium ingredi abſque noſtra, vel Vicarii noſtri generalis licentia.

3 Nullus vel Clericus, vel laicus, vel ſæcularis, vel Regularis (exceptis tantùm conſanguineis, vel affinibus in primo, ſecundo, & tertio gradu, accedere audeat ad colloquendum cum aliqua ex ibi degentibus, ſine noſtra, vel Vicarii noſtri generalis ſcripta licentia, ſub pœna carceris, aliiſque arbitrio noſtro.

4 Confeſſarii deputati etiam pro unica vice ad excipiendas confeſſiones earumdem, ſive Oblatarum, ſive puellarum, aut aliarum ibi commorantium, non cenſeantur deputati ad prædictarum confeſſiones audiendas, eaſque validè abſolvendas, niſi in deſtinata ſede Confeſſionali; aliaque omnia obſervent, quæ in hac parte de Monialibus diſpoſuimus in num. 14. 15. & 16. Nullus autem præſumat dictas confeſſiones excipere, niſi fuerit à Nobis ſpecialiter pro eodem Conſervatorio approbatus.

5 Regularum obſervantiæ Prioriſſa ſedulò invigilet. Quæ de Sacramentorum frequentia, de Choro, & præcipuè de Doctrina Chriſtiana, & rudimentis Fidei puellis explicandis, de januarum cuſtodia, de aſſiſtentia præſtanda, dum viri ex licentia noſtra ingrediuntur & aliis in num. 6. 8. 9. 17. 19. 20. Monialibus præſcripſimus, hic etiam præcepta intelligantur.

6 Menſam benedictio præcédat, ſilentium, &

& ſacra lectio comitentur, gratiarum actio ſubſequatur. Libros Divinarum meditationum per Confeſſarium approbatos, ſtatis horis attentè legant; profanos nec retineant. Statutâ hora omnes in ſilentio, (quod exactè in omnibus juxta regulas ſervari volumus), cubitum eant, & diluculò (u) ad benedicendum Domino ſurgant. Horis ad labórem præfinitis omnes unanimiter ſub aſſiſtentia Magiſtræ conveniant, & modeſtè (x) in Domino gaudentes, ſingulæ ſuum opus perficiant. Ut autem in his etiam religiosè tranſigant tempus, omnia (y) quæcumque faciunt, in nomine Domini Jeſu Chriſti faciant. Sic Monialium noſtrarum æmulando virtutes, coronam cum ipſis recipient, quam Dominus (z) Sponſis ſuis præparavit in æternum.

(u) *Pſal. 56. 9.*

(x) *Ad Philipp. 4. 4.*

(y) *1. Corint. 10. 31.*

(z) *Eccl. in Offic. Virg.*

7 Pauca hic adnectere operæ pretium ducimus pro mulieribus illis, quæ in privatis domibus religioſo habitu, & religioſa quadam obſervantia Virgines Deo dicatas imitari nituntur, quas Tertiarias vocant; harum enim quò periculoſior vita eſt, eò ſollicitiorem curam noſtram expoſcit.

8 Cum igitur juxta quamplurima Sac. Cong. decreta à Regularibus, etiam ſufficienti facultate à Sede Apoſtolica ſuffultis, non debeant (a) admitti ad habitum Religionis mulieres degentes in privatis domibus, niſi habeant requiſita in eiſdem decretis præſcripta, quæ ſint ab

(a) *S. Cong. Ep. & Regul. 20. Decembris 1616. In Appendice. Concil. Lateran.*

ab Ordinario recognita, prævio diligenti examine; & niſi ejuſdem Ordinarii licentia præceſſerit, ut in Decreto Sacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium in fine Synodi regiſtrando; Nos proinde inhærentes ipſis decretis, prohibemus aliquam mulierem admitti ad habitum Religionis in hac Civitate, & Diœceſi, ſine noſtra præcedenti licentia.

ſub Leo. X. ſeſ. 21. in fine. Conſt. Leo. X 1. Martii 1518. S. Cong. Ep. in Hidrun. 4. Auguſti 1625. In Append.

9 Ad hanc autem obtinendam juxta Sac. ejuſdem Congregationis præſcriptum hæc requiruntur: videlicet, quod ſint (b) probatæ vitæ, & bonis moribus præditæ; quod ſint in ætate quadraginta annorum conſtitutæ; quod de proprio habeant, unde ſufficienter vivere poſſint; & quod non cum aliis viris, quàm conſanguineis, vel affinibus in primo tantùm gradu ſibi conjunctis, cohabitent.

(b) *Decr. S. Cong. cit.*

10 Quæ hactenus fuerint legitimè admiſſæ ad habitum Religionis alicujus, ſeu deinceps admittentur, ex Sac. Cong. decreto (c) omninò abſtineant à delatione tùm veli ſupra caput, quod ſuperjectum vocant; tùm Pectoralis, quod vulgò dicitur ſubbarbium; tum Patientiæ, ſub pœnis arbitrio noſtro.

(c) *Ex Dec. Sac. Cong. cit.*

11 Frequentes Virorum acceſſus ad proprias domos, præſertim Regularium Ordinis, quem profitentur, non permittant; aliàs tam ipſæ, quàm viri cujuſcumque conditionis, & ſtatus ſint, gravibus arbitrio noſtro pœnis punientur. Sacrum, cui nomen dederunt, Inſtitutum fi-

S deli-

deliter, & religiosè cuſtodiant. Modeſtiam undequaque præſeferant; & ſegregatæ à ſæcularium conſortio, Deo, & ſibi vacent. Ne de
(d) *Zachar.* 13.4. ipſis etiam dicatur, opertæ [d] ſunt pallio faccino, ut mentiantur; & Divinam, noſtramque provocent ultionem.

CAPUT SEXTUM.

De Eremitis.

1 AD antiquum, quoquo modo poſſit, reparandum floridum Eremitarum ſtatum, exactâ quorum vivendi ra-
(e) *Iſaiæ* 35. 1. tione ſolitudo [e] olim exultabat, & florebat quaſi lilium; regulas Spiritu Oris Domini ple-
(f) *Conc. Rom ſub Bened. XIII. in append. ad tit.* 22. *c.* 1. *de ſtatu Monach. & Eremit.* nas, Sanctiſſimus Dominus [f] noſter in Romana Synodo nuper præſcripſit, & indefeſsâ, qua pollet, omnium Eccleſiarum ſollicitudine, mandavit Epiſcopis, ut earumdem obſervan-
(g) *Iſaiæ* 51. 3. tiam ubique promoventes, ponerent [g] deſertum quaſi delicias, & ſolitudinem ejus quaſi hortum Domini. Nos igitur obſequente, libentique animo ſaluberrima Sanctitatis ſuæ juſſa facientes, hujuſmodi regulas Synodali jun-
In Append. gendas appendici, ſeorſim etiam typis impreſſas, ad ſingulos Diœceſis noſtræ Eremitas mittimus, eiſque in Domino præcipimus, ut
(h) *Proverb.* 4. 1. audiant legem [h] Patris, & ambulent in mandatis ejus; pœnas daturi, ſi in minimo à rectiſſima hujuſmodi vivendi norma defecerint.

CA-

CAPUT SEPTIMUM.

De Confraternitatibus Laicorum

1 INGENIOSA Fidelium Charitas etiam in ſæculo chariſmata [(i)] meliora æmulari ſtudens, pia quædam laicis aperuit exercitia, quibus non ſolùm moribus, ſed & habitu parum Religioſis diſſimiles eſſe glorientur, ſi fideliter Inſtituti leges impleverint; Sodalitates, hæc ſunt laicorum, ornamentum & ipſæ Eccleſiæ Chriſti, ac virtutum ſcholæ iis, qui [(l)] convenientes in unum Dominicam Cœnam manducare, in Oratione [(m)] unanimiter perſeverare, Indulgentias lucrari, aliiſque piis operibus, ad regulæ præſcriptum, inſtare non negligunt. Optima ſanè ad eas in timore Domini inſtituendas Synodalia decreta [(n)] Prædeceſſores noſtri ſtatuerunt, ſed quoniam ignotâ pleriſque lingua, latina ſcilicet, ut moris eſt, locuti fuere, ſermonem, ubi non eſt auditus, effuderunt, & inanis, in Diœceſis præſertim Oppidis, tot Sanctiſſimarum legum diſpoſitio remanſit. Nos idcircò ut earumdem obſervantia ubique refloreat, integros de Confraternitatibus Laicorum titulos ex præfatis Synodis vulgariter redditos, unâ cum paucis noſtris hic addendis decretis, typis excúdi volumus, & publicè in cujuslibet Confraternitatis ſchola affigi jubemus; monentes interim non fruſtrà hæc à

(i) 1. *Cor.* 12. 31.

(l) 1. *Corint.* 11. 20.

(m) *Act.* 1. 14.

(n) *Syn. Card. de Com. tit.* 22. *Syn. Card. de Act. Decr.* 17.

Nobis fieri, ſed ut inexcuſabilem inobedientium contumaciam acrioribus pœnis coerceamus.

2 Onera Miſſarum æquè, ac aliorum officiorum, ſive eleemoſynarum, & piorum operum exequendorum (o) deſcribantur in tabella, quæ omnibus perſpicienda de Oratorii parietibus pendeat; ac prætereà eadem onera cum eorum auctore, libro ad id deſtinato commendentur; & quoties fuerit obligationibus ſatisfactum, ſuo loco memoretur.

(o) Ex lit. S. Congreg. Conc. de mãdato Alex. VII. die 15 Decembris 1663.

3 Cum ad mortuorum cadavera ſepelienda, præſertim in oppidis Diœceſis Confratres, etiam qui ex lege ſuorum ſtatutorum tenentur, moroſi ſint; Parochi ad pœnas per eaſdem conſtitutiones, aut alia decreta negligentibus inflictas, irremiſſibiliter procedant; & ut certiùs rei ſimul, & commodo Confratrum conſulatur, quolibet menſe aliquot determinatè eligantur, qui ſedulò hoc munus explere debeant uſque ad novorum electionem, iiſque deficientibus, mulcta irremiſſibiliter, ut ſupra, exequenda in commodum ſupplentium cedat, quo pigri, & certiores de luenda pœna, & alacriores ad leve, breviſque temporis onus ſubeundum, reddantur.

4 Nunquam Nobis inconſultis, & ſine noſtra expreſſa licentia creentur cenſus ad favorem Confraternitatum. Diligenter autem in primis perquiratur, an fundus ſit liber, & ſem-

per

per detur idonea cautio à Nobis approbanda, & renovanda in caſu deteriorationis bonorum, vel etiam mortis illius, qui cenſum fundaverat, juxta decretum Sac. Cong. Epiſcoporum, & Regularium, quod generaliter ſervari volumus ab omnibus Eccleſiis, piis Locis, & Beneficiis.

5 Bona Confraternitatis (p), ſive mobilia, ſive immobilia non concedantur vel titulo venditionis, vel emphiteuſis ulli ex Confratribus, ſeu Confratrum conſanguineis, nec alicui ſine præcedentibus proclamationibus (ſervatis tamen, quæ à Sacris Canonibus requiruntur) ità ut plus offerenti tradantur; quemadmodum prohibemus Confraternitatibus emere bona à Confratribus, ſive Confratrum conſanguineis, ſine noſtra licentia.

(p) Juxta Decr. S. Cong. de mandato Innoc. XII. pro V. beſub die 2. Septemb. 1699.

6 Adminiſtratores, Æconomi, & alii Officiales Confraternitatum quocumque nomine nuncupentur, ultra annum (q) non eligantur; nec in eodem officio confirmari poſſint ſine noſtra licentia, quaſcumque verò confirmationes, quas aliter fieri contigerit, ex nunc irritas, & nullas declaramus.

(q) S. Cong. Ep. 18. Julii 1594.

7 Hortamur denique Confratres omnes, ut quàm frequenter ad ſanctiſſimi Convivii menſam accedant; ac propterea ſtatuant certam diem, (niſi per regulas ſtatuta ſit) in qua ſinguli Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ Sacramenta recipiant. Studeant eaſdem regulas in omnibus

bus ſervare, & mutuam in primis Charitatem foventes, diſſidiorum occaſionem longè ſubmoveant.

CAPUT OCTAVUM.

De Monte Pietatis.

1 INter inſignia pietatis opera, quæ Civitatem, & Eccleſiam noſtram exornant, meritò nomine tenus etiam Mons ille præeminet, unde præcipuum (r) venit auxilium miſeris, & copioſa defluunt pauperibus vitæ ſubſidia. Ut autem mons (s) Dei ſit, mons pinguis, non divitiæ faciunt auri, & argenti, ſed divites (t) in miſericordia viri, quorum pietas non deſit, & in pietate (u) amorem ſervent fraternitatis. Nos idcircò, quibus in ſublimitate poſitis, ſpecialiſſima ſacri hujus Montis cura (x) à Sacroſancto Trid. Conc. eſt demandata, nobiles Viros illos, qui ad tanti operis miniſterium, & incrementum impigro, vigilique animo incumbunt, enixè in Domino monemus, ut quid agunt, agnoſcant; pauperibus enim Chriſti, in quibus (y) ipſe ſuſcipi teſtatur, & paſci, de Chriſti ærario miniſtrant; tremendum ſanè munus! (z) magno tamen præmio deſtinatum, ſi fideliter, & juxta providas deſuper ſancitas leges, impleatur.

(r) *Pſal.* 120. 1.

(s) *Pſal.* 67. 16.

(t) *Eccl.* 44. 10.

(u) 2. *Petr.* 1. 7.

(x) *Trid. ſeſſ.* 22. *de reform. c.* 8.

(y) *Matth.* 18. 5.

(z) *S. Cyprian. de diſcipl. & habit. Virg.*

2 Multa hucuſque ediximus, vel in Sacra Vi-

Viſitatione, vel in particularibus, coram Nobis habitis, congregationibus; non pauca Prędeceſſores noſtri, maximè per Synodalia [a] eorum decreta ſtatuerunt, quibus veluti à Deo datis legibus, & miniſtrorum ſecuritati, & recto Montis gubernio ſatis abundè proviſum eſſe confidimus; quò tamen de ſtabili, plenaque eorumdem obſervantia certi ſimus, pauca, quæ ſequntur in hac Sancta Synodo decernere operæ pretium duximus.

(a) Syn. Card. de Com. ſub hoc tit. c. 32. Card. de Aſte Decret. 26.

3 Officiales omnes ad obeunda Sacri Montis munia extracti, eadem per ſeipſos exerceant, nec alios unquam ſubſtituere poſſint, niſi fortè illos, qui pro eis fidejubentes hac conditione onus ſubierunt: dummodo tamen hujuſmodi fidejubentes aliud Montis officium eo anno non obtineant; nolumus enim duo inſimul munia ab uno, eodemque quoquo modo exerceri, ſub pœna privationis utriuſque ipſo facto incurrenda. Antequam autem officia ineant, coram Nobis, ut approbentur, ſe præſentare non omittant.

4 Tàm Montiſta, quàm Depoſitarius, poſtquam ſuſceptum munus expleverint, infra terminum duorum menſium libros, aliaque exhibeant [b] pro reviſione, quæ à Deputatis noſtris inſimul cum electis à publico Conſilio fieri debet; aliter facta, nulla, & irrita omninò ſit. Nec idem munus anno immediatè ſequenti exercère valeant; niſi forſan primo anno uti fide-

(b) Syn. Card. de Com. l. cit. c. 4.

fidejuſſores, principalium vices ſuppleverint, in ſecundo principales extracti fuerint. Quæcumque autem contra hoc Decretum confirmatio ſequatur, nulla item, & irrita ſit.

5 Montiſta, Depoſitarius, & unus ex Commiſſariis alternatim ad officium manè, & à prandio hora eis præfigenda, in Sacro Monte reſideant; mane ſiquidem pro recipiendis, & reddendis pignoribus, ut vulgò dicitur *Impegnate*, *e riſcoſſi*; à prandio verò pro iiſdem reddendis, & renovandis, vulgò *riſcoſſi*, e *rinovati*, ſi occurrant; quomodo enim tot legibus ad hujuſmodi reſidentiam adſtricti, emolumenta huic attributa, ſua facere poſſunt, ſi tanto cum pauperum diſcrimine non reſideant? Quotieſcumque igitur aliquis ex præfatis tribus, ut ſupra, abſuerit, in ſcutis duobus Sacro Monti applicandis ipſo facto mulctetur. Montiſta autem ſub pœna privationis Officii, & emolumentorum, pignora ne recipiat, alterutro ex duobus, Commiſſario ſcilicet, & Depoſitario abſente; & tunc privatione officii, & emolumentorum ipſo facto, ut ſupra, immo & inhabilitate ad exercenda Montis munia, quicumque abſuerit, ſecuti damni pœnas luet.

6 Unam ex Ærarii clavibus Commiſſarius, qui actu exercet, tempore vicis ſuæ apud ſe ſemper retineat, tantùm ex eo pecuniæ de die in diem extracturus, quantùm præſentaneis Montis ſatis ſit indigentiis; ad eas namque ſupplendas

das non majorem ducentorum ſcutorum monetæ Romanæ ſummam Depoſitario, quotieſcumque opus fuerit, re tamen maturè perſpectà, tradere debet. Si in aliquo ex his deficiat, Commiſſarii munere ipſo facto privatus, excommunicationi etiam ſubiaceat.

7 Depoſitarii verò meminerint ſe excommunicationem latæ ſententiæ ex Bulla (c) fæl. record. Pauli V., Papæ reſervatam incurrere, ſi eaſdem ſibi creditas pecunias in alios, quàm Montis uſus diſtrahere quoquo modo audeant. (c) *Paul. V.*

8 Quinimò ut modis omnibus in rè tanti momenti proviſum ſit; eâdem excommunicatione nobis reſervata ipſo facto innodatos volumus eos omnes, qui ſcienter dicto, vel facto diſtractioni hujuſmodi cooperari præſumunt. Sub eadem pœna res etiam oppignoratas, quacumque ex cauſa, præterquam venditionis, aut reſtitutionis, à Monte extrahi ſine noſtra expreſſa licentia omninò interdicimus.

9 Pecunias cuſtodiendas, ſeu Depoſita, non recipiat Depoſitarius, niſi aſſiſtente Commiſſario, qui toties quoties regiſtro ejuſdem Depoſiti ſe præſentem fuiſſe ſignabit.

10 Non liceat Depoſitario aliam pecuniam mutuare, quam Papalem argenteam, etiamſi aliam recipere Pauperes contenti ſint, immo etiam deprecentur; & tunc non aliam, quam

Papalem hujuſmodi à mutuatariis recipere teneatur, niſi pro meritis, quæ ſemijulii valorem non attingunt. In tranſgreſſione deprehenſus, vel per legitimos teſtes convictus, officio privabitur.

11 Pretioſorum pignorum Æſtimator quotidie de mane, & ſiquando opus fuerit etiam à prandio ſtatis horis & ipſe cum Officialibus interſit. Quotieſcumque deficiat, in juliis tribus Monti applicandis, mulctetur.

12 Quę contra Hebræos, alioſque pro ipſis in Sacro Monte oppignorantes per Edictum (d) noſtrum ſub datum 14. Decembris 1715. ſtatuimus, hic renovare intendimus; quinimò excommunicationem latæ ſententiæ nobis reſervatam, in eo contra Chriſtianos pro hebræis ut ſupra oppignorantes inflictam, extendimus etiam ad eos Montis Officiales, & Miniſtros omnes, qui pignora hujuſmodi facta ſciunt, & Nobis non revélant.

(d) *In Append.*

13 Nunquam pignora Præconis voci ſubjiciantur, niſi per menſem noſter præceſſerit aſſenſus, & à Parochis monitus fuerit Populus de imminenti eorumdem auctione, quæ non niſi poſt Dominicam Pentecoſtes fieri debet; & tunc non feſtinanter, non præproperè, ita ut licitantibus rem perpendere non detur locus, & pauperes pignorum domini damnum patiantur, ex eo maximè quia oblationum numerus minuatur. Semper idcircò Commiſſarius præſit

Digitized by Google

ſit, aliter nulla ſit venditio; nec plura, quam viginti pignora in qualibet auctione, eo ordine numeri, & temporis, quo oppignorata fuerunt, vendantur; nullo habito reſpectu ad preces illorum, qui fortè opulentiores, in pauperum perniciem iis in venditione indebitè poſtponi petunt.

14 Quotieſcumque autem invenditum pignus aliquod remanſerit, in ſequenti auctione præconis voci denuó ſubjiciatur.

15 Auctionanda pignora palàm licitantibus exponantur; ſi quod autem non ſic expoſitum fuerit, gratis domino reddi volumus à Montiſta, qui inſuper Monti, oppignorantis debitum de proprio ſatisfaciet.

16 Officiales Montis, nec per ſe, nec per alios pignora hujuſmodi emant; deprehenſi ſiquidem, protinus empta eadem amittent, & tertia ipſorum pretii pars delatori applicabitur.

17 Quicumque contra hæc noſtra Decreta in minimo defecerit, præter damna, quæ venditorum pignorum dominis reſarcire cogetur, officio privabitur; & gravioribus aliis arbitrio noſtro pœnis punietur.

18 Conſona hæc omnia ſunt ſapientiſſimis legibus, non tantùm à ſummis Pontificibus latis, ſed ab ipſomet publico Civitatis Conſilio, cum Ordinariorum approbatione providè toties ſancitis. Hortati (e) igitur voce patria, in auditu (f) auris obedientes, amplecti filios confidi-

(e) 2. *Macab.* 11. 37.
(f) *Pſ.* 17. 45.

fidimus; ingenitæ ſiquidem nobilitatis memores, non pœnarum formidine, ſed pietatis amore opus ſuum perficient, ut in pingui pauperum Monte ad totius Reipublicæ bonum, ſola in ævum (g) Pietas regnet, Pietas ad omnia utilis, promiſſionem habens vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ.

(g) 1. ad Timot. 4. 8.



PARS

Digitized by Google

PARS QUARTA.

CAPUT PRIMUM.

De Medicis.

1 CAllidus animarum, Chriſti Sanguine redemptarum, hoſtis, ſicut in mundi exordio infauſtâ illâ, & in ævum lugenda aſſentatione -- nequaquam (h) moriemini -- totum genus humanum morti ſubjecit; ità propediem innumeras fidelium animas, maximè dum per (i) ægritudinis moleſtias ad judicium properant, vetuſto, blandoque ejuſmodi mendacio ad æternæ mortis exitium trahere contendit; obturando ſiquidem ora eorum, quibus divinæ, humanæque leges præcipiunt, ut cum fiducia (l) loquantur conſilium Domini, & diabolicæ fraudi Prophetæ nuncium opponant -- Diſpone (m) domui tuæ, quia morieris -- facilè diuturnam vitam hominibus ſpondet, dum mori incipiunt; quo fit, ut Sacramentorum munimine deſtituti quamplures, de repentè cum ipſo luctantes pereant; & dum tem-

(h) *Geneſ.* 3. 4. *Ibidem* 19.

(i) *S.Greg. hom.* 13. *in Evang.*

(l) *Act.* 4.29.

(m) *Iſaiæ* 38. 1.

Digitized by Google

tempus habere putant, in infælici æternitate ſe defleant.

2 Hæc incomparabili Zelo ſuo perpendens Sanctiſſimus Dominus noſter per Synodale Romani ultimi Conventus decretum, (n) inhærendo Innocentii III., (o) aliorumque Prędeceſſorum Conſtitutionibus, quas neglectas conqueritur, Epiſcopis omnibus modum præſcribit, (p) quo tanto animarum diſcrimini certò occurratur.

Alacri Nos igitur animo Spiritus Sancti, per os Petri loquentis, in re tàm gravi ductum ſequentes, Summi Pontificis juſſa Medicis noſtris adamuſſim ſervanda proponimus.

3 Medici omnes, & Chirurgi prima die, qua inviſunt infirmum, quacumque ex infirmitate decumbentem (exceptâ ſimplici podagra, aut alia ſimili invaletudine, quæ ex ſe lecti quietem non requirat) eum moneant, ut Spiritualem advocet Medicum, qui Pœnitentiæ Sacramento animæ morbis proſpiciat, tutioremque recuperandæ corporis incolumitati viam ſternat.

4 Quod ſi hoc Sacramento inexpiatum ſequenti die ægrotum reperiant, denuò monére non omittant ſe curam deſerturos, niſi alterâ die ſcriptum de hujuſmodi expleta obligatione Confeſſarii teſtatum exhibeat.

5 Tertia deinde die contumacem infirmum, qui præfatâ in ſcriptis atteſtatione caret, de-

fa-

(n) *Concil. Rom. ſub SS. D.N. Bened. XIII. tit. 32. de Pœnit. & remiſſ. c. 1.*

(o) *Lateranen. 4. Can. 22. an. 1215. in cap. cum infirmitas hoc tit.*

(p) *In Append. ejuſd. Rom. Conc. ad tit. cit.*

Digitized by Google

facto deſerant omninò, ſub pœna excommunicationis majoris latæ ſententiæ, Nobis reſervatæ; ultrà quam declarandos inſuper ſe ſciant perpetuæ infamiæ nota inuſtos, Medicinæ gradu privatos, ac à Medicorum Collegio excluſos, quin etiam pecuniariâ pœnâ arbitrio noſtro fore mulctandos; nec ad curam redire audeant uſquedum de Sacramentali Confeſſione peracta, per Confeſſarii in ſcriptis atteſtationem infirmus edoceat. Si autem Confeſſarius rationabili de cauſa (ſuper quo ejus conſcientia oneratur) confeſſionem ad certum diem differre cenſeat (quod fieri permiſſum eſt in Tit. de Sacramento Pœnitentiæ) cum de hoc etiam in ſcriptis ipſe teſtari debeat, uſque ad præfinitam diem curare liberè poterit, quâ elapſa, non confeſſum ægrotum deſerere omninò ſub iiſdem pœnis teneatur.

6 Horum omnium (q) denique obſervantiam, poſt Synodi publicationem Medici, & Chirurgi Diœceſis in manibus noſtris, vel Vicarii noſtri generalis jurare debent.

(q) *In eadem Appendice Rom. Conc. in fine.*

Ut clarius verò hæc pateant, ipſum Sanctitatis ſuæ monitum ad calcem Synodi ponendum decernimus.

In Appendice.

7 Plura, quæ à Prædeceſſoribus noſtris ſub hoc titulo (r) Medicis præſcripta ſunt, innovamus; ipſiſque inſuper injungimus, ut opportuno tempore de ſuſcipiendo etiam Sanctiſſimo Viatico infirmos moneant, non ſolùm ad

(r) *Syn. Card. de Com. hoc tit. Syn. Cardin. de Aſte Decr. 28.*

eo-

eorum animas fructuoſiùs tanto auxilio muniendas, ſed ad ſartam tectam ſervandam Auguſtiſſimo huic Sacramento debitam reverentiam: multoties enim ſine præſcripta, decentique pompa defertur, quia Medici cultum ab Eccleſia in Sacra functione præceptum vel neſcientes, vel non curantes, neceſſitatis urgentiam expectant, quò non ſine culpa tumultuariè, ut plurimùm, Sanctiſſimum hoc Sacramentum ad ægrotantium domos delatum irreverentiis exponitur. Caveant idcircò ne inpoſterum ex eorum incuria hoc ſequatur, & indignationem noſtram, debitaſque pœnas incurrant.

CAPUT SECUNDUM.

De Cæmentariis.

(s) *Iſaiæ* 58. 7.

1 EGENIS [s] panem frangere filiis non ſola, nec prima Patris pauperum (cujus preclaro nomine in Domino gloriamur) cura eſt; illud enim in primis cavere debet paterna Epiſcopi Charitas ne famelicos incautos filios, queis [t] unicus pavor egeſtas eorum, venenato cibo decipiat, & mactet, qui inſidiatur [u] ut rapiat pauperem, rapere pauperem dum attrahit eum. Attrahit non rarò quidem, lucroſum, idemque prima facie honeſtum miſeris ſuggerens exercitium, quo alat [x] eos in fa-

(t) *Proverb.* 10. 15.

(u) *Pſal.* 10. 9.

(x) *Pſal.* 32. 19.

fame, ſed facilè in (y) mortem ipſorum animas trahat. Hujuſmodi ſemper cenſuimus in Diœceſi noſtra, paucis ab hinc annis invectum murariæ artis abuſum, fœminas permixtè cum viris ad opus vocandi; quod non ſine gravi cordis noſtri ſollicitudine hucuſque toleravimus. Re igitur maturè perpenſa, & hinc parcum, novumque lucrum, quod aliunde facilè jamdudùm quærebatur, dimetientes, inde evidens honeſtatis diſcrimen, & penè inevitabiles in adeò periculoſa ſexus permixtione innumeras Dei offenſas; quin etiam imminentem ipſius artis interitum, cum ad eam magiſtri formari nequeant, niſi qui in operibus â fœminis modò exercitis attentè verſentur; quæ fuerunt (z) lucra, arbitrati propter Chriſtum detrimenta, enixè præcipimus ne inpoſterum fęmina ulla, cujuſcumque ſit ætatis, ad murarię Artis opera exercenda admittatur, ſub pœna carceris tàm à Magiſtro, cui inſervit, quàm ab inſerviente ipſa incurrenda.

(y) Prov. 24. 11.

(z) Ad Philipp. 3. 7.

2 Honeſtiùs itaque deinceps, & fideliùs laborantes (a) manibus ſuis Chriſtianæ mulieres, non timebunt (b) certè domui ſuæ à frigoribus nivis, & quod unicè optandum eſt, ridebunt (c) in die noviſſimo. Jactent (*) cogitatum in Domino, & ipſe enutriet, qui (d) non affligit fame animā juſti; quinimò (*) multa bona habebunt, ſi timuerint Deum, receſſerint ab omni peccato, & fecerint benè.

(a) 1. Corint. 4. 12.

(b) Prov. 31. 21.

(c) Ibidem 25.

(*) Pſal. 94. 23.

(d) Prov. 10. 3.

(*) Tob. 4. 23.

V CA-

Digitized by Google

CAPUT TERTIUM.

De Hebræis, & Infidelibus, eorumque conſortio vitando.

1 DURA' (c) cervíce, & incircumciſis cordibus, & auribus hebræi Spiritui Sancto per os Summorum Pontificum toties locuto, ſemper, qua prævalent, diabolica calliditate reſiſtunt. Tolerati (f) ſiquidem ab Eccleſia, ut ejus pietate, ac benignitate allecti, tandem reſipiſcant; dummodo ſe interim ſervos inter Chriſtianos agnoſcant, Dominorum more inter eos verſari ſtudent, & meritum captivitatis jugum iniquè ferentes, nullum fidei, perditęque animę ſenſum oſtendunt. Sentiant tamen miſeri, oportet, maledictionem, quæ (g) ſicut aqua in interiora eorum, & ſicut oleum in oſſibus intravit; Peccatum (h) Juda ſcriptum eſt ſtylo ferreo, exaratum ſuper latitudinem cordis eorum; fortitudinem tuam in direptionem dabo, & relinquéris ſola ab hæreditate, & ſervire te faciam inimicis tuis in terra quam ignóras, quoniam ignem ſuccendiſti in furore meo, uſque in æternum ardebit.

Si quæ ſunt igitur à (i) Summis Pontificibus, & Prædeceſſoribus noſtris ad ipſorum compeſcendam audaciam, & Chriſtianorum tuendam ſecuritatem, & fidem, neglecta huuſ-

(c) *Act. 7. 51.*

(f) *Paul. IV. Con. Cum nimis abſurdum.*

(g) *Pſ. 108. 18.*

(h) *Jeremiæ 17. 1. & ſeqq.*

(i) *Inn. IV. Conſt. 2. Pii IV. Conſt. 48. Gregor. XIII. Conſt. 19. Pauli IV. Conſt. 3. S. Pii V. Conſt. 80. Clem. VIII. Conſt. 10.*

cuſque præcepta, debitâ inpoſterum expleantur ſedulitate.

2 Hebręi omnes utriuſque ſexus, pueri etiam, & puellæ, quò faciliùs à Chriſtifidelibus vitentur, ſignum deferant, per (l) Conſtitutiones Summorum Pontificum eis injunctum; maſculi quidem ſolitum pilei, ſeu bireti colorem; fœminæ vittam flavi coloris ad humeros pendentem; qnandocumque autem taliter non obſignati inveniantur, pœnam carceris, aliaſque arbitrio noſtro luent; quas pro pueris, & puellis parentes, & alii eorum curam habentes, ſubibunt.

(l) *Ex Conſt. cit. Pauli IV. & S. Pii V. Conſt. 80. de ann. 1569 Hebręorum gens. Synod. Card. de Comit. ſub hoc tit. c. 2. Synod Card. de Alte Decr. 12.*

3 Soli arti (m) ſtrazzariæ, ſeu cenciariæ per eamdem S. Pii Conſtitutionem addicti, ſi quam aliam ſpeciali Sedis Apoſtolicæ indulto exerceant, eam tamen nullo modo exercère audeant in domibus Chriſtianorum, nec extra ſepta ſolitæ ipſorum manſionis, vulgò ut dicitur, *del Ghetto*, ſub pœna exilii. Ad eas autem artes in Chriſtianorum domibus exercendas, quæ ob perfidam forſan illorum calliditatem apud Chriſtianos penè interierunt, uſquedum in Civitate reviviſcant, licentiam noſtram requíri omninò volumus.

(m) *Eadem Pauli IV. Conſt. §. 9. & S. Pii cit.*

4 Eaſdem Chriſtianorum domos frequenter adíre non præſumant; quoties autem præciſa neceſſitas id expoſtulet, non diutiùs, quàm opus fuerit, inibi morentur; de quo diligenter inquirere noſtrum erit. Tempore præ-

Digitized by Google

